[redacted]

DE JULII POLLUCIS

IN APPARATU SCAENICO ENARRANDO FONTIBUS

SCRIPSIT

ERVINUS ROHDE.

DE

JULII POLLUCIS

IN APPARATU SCAENICO ENARRANDO FONTIBUS

SCRIPSIT

ERVINUS ROHDE.

ACCEDIT DE POLLUCIS LIBRI SECUNDI FONTIBUS EPIMETRUM.

LIPSIAE

IN AEDIBUS GUILELMI ENGELMANN.

1870.

Casu infelici an improba dicam ultimorum antiquitatis quam vocamus temporum neglegentia factum est, ut uberrimae Alexandrinorum doctrinae integrum monumentum ne unum quidem ad nostra usque tempora servatum sit. Contractis nempe et spoliatis antiquiorum grammaticorum amplissimis operibus recentiores isti Graeculi, abjectis verae et integrae doctrinae thensauris, quo quisque liber angustioribus continebatur finibus, eo libentius usurpabant, eo frequentius transscribebant. Itaque hac pigritia evenit, ut ne illorum quidem grammaticorum qui ab Augusti inde temporibus quamvis ipsi novi non multum protulisse videantur, veterum tamen et Peripateticorum et Alexandrinorum copias integras colligebant et diligenter disponebant magnaque priscae probaeque doctrinae tanquam horrea condebant — ut ne horum quidem grammaticorum, Didymi prae ceteris et Pamphili, ullum ad nos pervenerit illibatum opus. Sed in hac tamen antiquae doctrinae clade miserrima est cur nobis gratulemur ipsam illam quam modo perstrinxi recentiorum Graecorum ignaviam. Nimirum dum anteriorum eruditorum copias describere et contrahere satis habebant, et librariorum magis quam auctorum fungebantur vicibus, pudenda hac inertia effectum est, ut in decurtatis quoque misereque truncatis amplioris eruditionis reliquiis tamen quid cuique tribuendum sit veterum grammaticorum haud raro satis affirmanter etiamnum possimus demonstrare.

Haec vero priscorum artis grammaticae monumentorum effossio quanti sit in omnes fere nostrae disciplinae partes

momenti vel summi inde ab instauratis litterarum studiis philologiae ἀρχηγέται parum videntur perspexisse. Nostro demum saeculo intellectum est, quantum valeat, illorum qui tempus tulerunt grammaticastrorum antiquiores indagare fontes, ut tandem aliquando distincte cognoscatur quid distent aera lupinis. Quo in studiorum genere fructuosissimo cum viam muniverit Lehrsii doctum acumen, certatim praestantissimi quique antiquarum litterarum cultores in hoc campo desudarunt; inter quos Ritschelium, Nauckium, Mauritium Schmidtium, Naberum nominare sufficiat. Tantum tamen abest, ut spatiosissimus hic gyrus peractus sit, ut vix quartam partem adhuc emensam possis dicere. Nec mirum: nam priusquam *Athenaei* fontes accuratiore investigatione explorati sint, plurimis in partibus tuto pedem figere non possumus.

Itaque cum restent in hoc agro haud pauci anguli cultori quondam extituro laetissimum promittentes fructum, non est cur mireris, partem quandam et cultu difficiliorem et, nisi egregie fallor, messem parum uberem prolaturam, vacuam jacere et otiosam: *Julii Pollucis* dico *onomasticum*. Huius enim libri quanquam qui sit ad plurimas antiquitatum partes accuratius pernoscendas usus et praestantia nemo est quin probe sciat, tamen quominus quis intento studio perquireret, quibus tandem auctoribus doctrinae illas copias saepe egregias deberet sophista cuius per se nulla potest esse auctoritas, obstitit, opinor, haud mediocris rei difficultas in eo potissimum posita, quod neque ipse Pollux unde sua hauserit ingenue fatetur, neque ex onomasticorum numero quondam permagno praeter ipsum Pollucis opus ullum aliud extat quocum ille possit comparari. Spondeo nihilo minus, hominem aliquem doctrinae copiis egregie instructum, acumine haud volgari praeditum, in hoc fontium eruendorum studio diu multumque versatum etiam de Pollucis fontibus quaedam certe satis speciose indagare posse. Sed cum harum trium rerum in me nulla sit, veniam

spero me impetraturum esse, si diputatio mea de *Pollucis in rebus scaenicis enarrandis fontibus* exilior evasura sit.

Ne tamen qui hoc opusculum lecturus est, cur tamdiu in limine haeream, ad ipsam rem sero accedam nimis miretur, reputet velim, non posse de singulis huius onomastici particulis satis fructuose disputari, nisi totum opus quibus superstructum sit fundamentis in universum certe perspectum sit.

I.

Pollux igitur ipse quibus usus sit fontibus nusquam indicat: pauca monet de eis fontibus quos *non* adierit; quae cui usui possint esse postea videbimus. Usum autem illum esse paratis antiquiorum grammaticorum doctrinae subsidiis, id vero certum est. Nam ridiculus foret siquis ex veterum et scriptorum et poetarum pratis ipsum sophistam nostrum flosculos suos conquisivisse opinetur; neque ejusmodi opinionem ut data opera refellamus periti judices poscent. Ipse quos videri velit auctores secutus esse, in libri secundi praefatiuncula his indicat verbis: πολλὰ δὲ καὶ οἱ τῷ περιπάτῳ συνήθεις ἐμήνυον ἡμῖν, αὐτοὶ τὰ παῤ αὐτῶν καὶ τὰ παρὰ τῶν ἰατρῶν ἀθροισάμενοι, παρ᾽ ὧν καὶ ἡμεῖς τινα τούτων συνελέξαμεν. Illos nimirum dicit antiquissimos solidioris quam Ernestius vocat doctrinae conditores quorum nonnullos recensuit *Lehrsius* Aristarchi p. 49 sqq. (ed. I.). Sed ne hoc quidem crediderim. Peripateticorum igitur libros tractatos esse a secundi tertiique saeculi sophista? Qui si aut Alexandrinorum aut eorum qui inde ab Augusti aetate priscae doctrinae thensauros contraxerant libros exscribebat, et aequalium omnium morem sequebatur, et vero multo prudentius agebat, quippe qui Peripateticorum eruditionem una cum Alexandrinorum illos excipientium doctrinae copiis longe uberioribus reciperet. Venia igitur tua dictum sit, bone Pollux; credo te aliquid gloriolae

captavisse: „integros" accessisse „fontes" videri volebas, dum rivulos inde deductos item ut ceteri omnes tui aevi homines hauriebas [1]). Revera enim stultus fuisset, qui, onomasticum conditurus, lautissimas priorum saeculorum cenas spreturus fuisset; atque fuit is omnibus temporibus lexicographorum mos, ut non tam ad artis suae rudimenta redirent, quam eis potissimum copiis uterentur quas scirent et ditissimas et accuratissime castigatas: nedum illa aetate, qua magnus sibi auctor videbatur siquis sex septemve libros in unum contraxerat.

Quae cum ita sint, per se, opinor, probabile est, Pollucem eisdem in universum copiis usum esse, ex quibus ceteros qui quidem aetatem tulerunt veteris eruditionis propagatores sua hausisse post Schmidtii aliorumque operam jam compertum est. Dolendum autem est, quod nobis nullum servatum est onomasticum ad Pollucis similitudinem institutum, nullum fere praeter Athenaei Deipnosophistas opus, in quo de rebus a Polluce tractatis uberius disputatum sit. Extant etiamnunc *lexica* haud pauca majoris minorisque ambitus. Cum his igitur si comparabimus Pollucem, permultis locis videbimus, si non verbis at re tamen et sententiis inter utrosque convenire. Sed ut ex hoc inter Pollucem et lexicorum conditores consensu ad nostram quaestionem aliquis fructus redundare possit, indicandum certe brevissime, quo familiaritatis vinculo contineri mihi videantur praecipua lexica [2]).

---

1) Vid. epimetrum.

2) De *Suida* ἐπέχω; quamquam hoc saltem mihi satis certum videtur, de *Photii* lexico a Suida recepto immerito dubitasse *M. Schmidtium* (annal. phil. LXXI 1855 p. 483); cf. *Naber*. proleg. ad Phot. p. 165 sq. — De *Etymologicorum* fontibus quaestio est difficillima, incohata ab *E. Meiero* opusc. II 115 sqq.; cf. etiam *Naber*. prol. Phot. 170 sqq. — De *Orionei* Etymologici compositione satis constat quam diverse sentiant *Ritschelius Kleistius*que. Et Kleistius quidem quanquam quaedam vere observasse videtur (cf. *Lentz*. Herod. techn. rel. I p. CCVIII sqq.) ea tamen quae contra Ritschelii paragraphum deci-

Et de *Hesychii* quidem fontibus cum inter doctissimos homines naviter certari constet, ego nequeo quin a gravissima *Rankii, Schmidtii, Naberi* auctoritate discedam, et *Welckero Weberoque* adstipuler, qui *duo* extitisse Diogeniani lexica censent, epitomen lexici Pamphilei et alterum ab ipso Diogeniano studiose compositum, Περιεργοπενήτων nomine inscriptum. Ex his igitur duobus operibus Diogenianeis tanquam duabus ex radicibus tota ceterorum lexicorum silva procrevisse mihi videtur; et ita quidem ut *epitomen Pamphileum* compilaverint *Dionysius Pausaniasque*, Περιεργοπενήτων tanquam novam editionem curaverit *Hesychius, utriusque libri* copias receperint et *Photius* et in commentario Homerico *Eustathius.* Quorum ille praeter Dionysium Pausaniamque, epitomae Pamphileae compilatores, ceteraque quae Naberus enumeravit lexica, Diogeniani etiam alterum opus usurpasse censendus est [1]), Eustathius praeter lexicon aliquod anonymum (p. 799, 36. 1854, 33.) et Dionysii Pausaniaeque binas editiones (v. *Naber.* p. 48 sqq.) etiam Hesychium, aut, quod malim credere, Diogeniani Περιεργοπένητας inspexisse videtur [2]).

---

mam potissimum disputavit, mihi quidem plane non persuasit. Sed minoris haec omnia in mea caussa momenti sunt.

1) Dionysium non Περιεργοπένησιν usum esse sed altero Diogeniani lexico inde apparet, quod ipsa illa quam ex Diogenianeo aliquo opere transscripserat, teste schol. Hermogen. ap. Bekker. anecd. gr. III 1073, glossa ὑπόξυλος, in *Hesychio* non extat; idem inde colligendum est, quod inter *quattuor* illas glossas Diogenianeas, a *Boëtho* cum reliquis quae habet plerisque omnibus ex *Dionysio* transscriptas (ap. *Naberum* p. 63 sq.) *duae* extant, quarum altera in Hesychio ne comparet quidem, altera alia tradit atque eadem de re Hesychius. — Contra ipsum Photium inspexisse Diogeniani Περιεργοπένητας et praefatio lexici Photiani docet et unica quam ipse nominatim ad Diogenianum refert glossa, ἄ ἄ (I 102 Nb.), quae cum Hesychiana accurate concinit, et mirus in vocabulorum quibusdam tragelaphis et pantherocamelis Hesychii Photiique consensus; siquidem parum probabiliter *Dionysii* neglegentiam illa monstra peperisse coniecit *Naberus* p. 27. 28.

2) Hoc Naberum, acutissimum hominem, fugisse mirum; sed extant certa quaedam indicia, de quibus nunc disputare longum est;

Sed ex quibus haec omnia lexica originem ceperunt ambo Diogeniani opera, ea id unum commune habent quod *Didymî* prae ceteris lexico tragico et comico et hoc nititur et illud. Et in Περιεργοπένητας quidem receptas esse gazas

---

breviter singula tetigisse sufficiat. Cf. Eustath. Z 162 p. 632, 8 ἐν δὲ ῥητορικῷ λεξικῷ εὕρηται καὶ Βέλλερος λεγόμενος (Bellerophon); quibuscum unus consentit Hesychius: Βέλλερος ὑπὸ Βελλεροφόντȣ κτανθείς· ἢ ὁ Βελλεροφόντης. Eust. υ 8 p. 1880, 63: γιγγρί· ἐπιφώνημά τι ἐπὶ καταμωκήσει, ὡς ἐν ῥητορικῷ κεῖται λεξικῷ. Hesych. γιγγρί· ἐπιφώνημά τι ἐπὶ κάταμωκήσει λεγόμενον. — Eustath. Γ 204 p. 405, 43. ἕτεροι δὲ (quam Dionysius Pausaniasque antea commemorati) ȣ̈τως· ἀστόξενοι οἱ γένει μὲν ἐξ ἀρχῆς προσήκοντες, ἐπὶ δ' ἀλλοδαπῆς γεγονότες; quae ad verbum redeunt apud Hesychium; nisi quod is illa: ἐξ ἀρχῆς omisit, quae tamen, ut apud Eustathium, addita leguntur etiam in sexto Bekkeri lex. p. 456, 5. Simile quid alia in glossa accidit. Nempe quae de vocibus διδυμάονες et δίδυμοι profert Hesychius plane concinunt cum lex. rhet. apud. Eust. Z 23 p. 622, 58. (cf. Apollon. s. v. Et. M. 272, 32.), nisi quod apud Hes. desiderantur quae in fine adicit Eustathius: ὁποίȣς ὁ μῦθος πλάττει τȣ̀ς 'Ακτορίωνας. His et similibus exemplis nescio an id probetur, non ipso Hesychio sed Περιεργοπένησιν potius usum esse Eustatbium. — Porro cf. Eustath. K 547 p. 823, 26. Hesych. s. αἴγλη (Pausaniam, cuius apud Eust. restat adnotatio, intercedente Photio Suidas descripsit; Pausaniae Diogenianique doctrinam coaluit auctor sexti lexici Bekkeriani p. 354, 15.). — Eust. M 459 p. 914, 34. Hesych. θαιρός. — Eust. Δ 141 p. 455, 37. λευκοὶ οἱ δειλοί, καὶ λευκωπίαι οἱ αὐτοί. Ita emendo collatis glossis Hesychianis: λευκοί· οἱ δειλοί et λευκωπίας· λευκὸς ὀφθῆναι. λευκώπιοι Eustathii editiones; λευκόπυγοι corrigunt *Naberus* Phot. I p. 382 et *E. Meierus* opusc. II 111. — Ceterum quibusdam locis praeter Dionysium Pausaniamque *tertium* λεξικὸν ῥητορικόν laudat Eustathius, et ab illis et ab Hesychio diversum: cf. Eust. B 478 p. 258, 25 sqq. ‚θεός, θεός' K 249 p. 801, 57 sqq. de vocabulo ἀνεῖν sive αἴνειν (de scribendi ratione cf. *Rindfleisch.* De Pausan. et Dionys. lex. rhet. Regim. 1866 p. 34.); φ 407 p. 1915, 9 sqq. de voce κόλλοψ tria consuluit lexica ex Didymi lex. tragico omnia compilata; ad E 408 p. 565, 19 provocat ad ‚ἔκθεσιν συγγενικῶν λέξεων φερομένων ἐν ῥητορικῷ λεξικῷ'; quod aut *Aristophanis Byzantii* fuisse lexicon puto (cf. Eust. p. 1118, 9) aut aliud quidpiam, eadem ratione dispositum. — Denique *Heliodori* (nam „Herodorum" ne ea quidem tuebuntur quae *La Rochius* Hom. Textkrit. p. 169 adn. 234 ita profert, tanquam de *Heliodoro* nunquam fando audisset) *et Apionis* glossarium Homericum aeque ac Photius, Hesychius, Apollonius usurpavit Eustathius, si modo vera est speciosissima *Val. Rosii* conjectura, in Aristot. pseudepigr. p. 150 proposita.

Didymeas ipse Hesychius in epistula illa ad Eulogium data testatur; in Pamphilei lexici epitoma eiusdem thensauri largas extitisse reliquias ei, qui Hesychii epistulae fidem derogandam esse censeant, et a Diogeniano nihil omnino aliud quam Pamphili opus breviatum esse contendant, uberrime demonstrari posse crediderunt. Omnia enim quotquot reperiuntur apud *Hesychium* Didymeae doctrinae frusta, illi, ut par est, ex *Pamphilo* fluxisse affirmarunt (*v. Schmidt.* Didym. p. 77.). Sed hac quidem via cum nobis, qui cum Welckero Weberoque sentimus, non jam liceat progredi, aliunde tamen demonstrari potest Didymi lexicis usum esse Pamphilum. Certum enim hoc est cum aliis de caussis tum propter unum hunc Athenaei locum XI 487 C: μάνης· ποτηρίυ εἶδος. Νίκων κιθαρῳδῷ παρέθετο τὰ ἰαμβεῖα καὶ Δίδυμος καὶ Πάμφιλος. Didymo autem cum in illis lexicis haud raro de eis rebus disputandum esset quae ad artem scaenicam spectant, probabile est, omnia fere ea quae ex utroque Diogeniani lexico servata sunt misera amplissimae quondam de his rebus doctrinae fragmenta, ex Didymi opibus fluxisse. Omnino siquis ex amplioribus quae forte fortuna servatae sunt vasti operis reliquiis justam doctarum illarum lautitiarum imaginem sibi informaverit, is optimam et vero etiam maximam lexicorum nostrorum partem ad Didymum referre non dubitabit.

Jam si *Pollucis* cum eis doctrinae frustis quae Didymo deberi certo scimus instituimus comparationem, sponte apparet, maximam plerumque inter utrumque intercedere similitudinem. Quae tamen comparatio cum longius a proposita quaestione nos abductura sit, in tribus subsistam exemplis.

Sextum Bekkeri lexicon haec habet p. 471, 19: Ἄφλαστα· τὰ ἀκροστόλια Ἀπολλόδωρος. ὁ δὲ Δίδυμος (procul dubio in lexico comico: v. M. Schmidt. Did. p. 79. 80.) τὸ ἐπὶ τῆς πρύμνης εἰς ὕψος ἐκ κανόνων πλατέων ἐπικεχαμμένον. Didymum sequitur Pollux I 90.

Choeroboscus ad Theodos. f. 66. apud Bekkerum an. III 1432 [= Herodian. καθολ. προσῳδ. l. II p. 44, 28 Lentz.] ψάλυξ, ψάλυγος· τινὲς μὲν τὰς ψύχας (ita Schmidt. Did. p. 81. τρίχας cd.) ἐδέξαντο σημαίνειν τὴν λέξιν, Δίδυμος δέ φησιν τοὺς ἀσθενεῖς σπινθῆρας δηλοῦν τὴν λέξιν. Idem atque Didymus Pollux tradit VII 110.

De *Mintha* quae refert Pollux VI, 68 plane consentiunt cum eis quae ea de re narravit in lexico comico Didymus, servata in scholiis Aristophaneis Hesychioque et inprimis Photio: *v. Schmidt.* p. 72. *Naber.* Phot. I p. 425.

Apparet igitur, aliquam certe inter Didymum et Pollucem intercedere necessitudinem. Atque *Nabero* quidem tanta visa est Didymeae doctrinae et Polydeuceae similitudo, ut *Pollucem,* item atque scholiastas Aristophanis Sophoclisque *„potiora sua Didymo debere"* contendat prol. Phot. p. 79. De scholiastis illis quis post Schmidtii laboriosam operam contradicet? *Pollucem* autem *vel tantum ex Didymo hausisse nego atque pernego.*

Primum enim multa, de quibus in Didymi lexico comico disputatum esse certo scimus, frustra quaerimus in Polluce; plura etiam quae tragico lexico infuisse constat apud nostrum desiderantur. Nec mirum, inquies. Audio: sed cur Pollucem talem potissimum sibi delegisse putemus librum, in quo plurima inesse sciret a suo consilio plane aliena?

Deinde vero gravius etiam est, quod ex illis, quae de scaenicis rebus aut accurate explicuit aut nominare satis habuit Pollux, plurima adeo ne commemorantur quidem aut apud ceteros lexicographos aut apud Hesychium, in cuius lexicon quantumvis decurtatum at universum tamen Didymi opus receptum esse constat; ita ut *lemma* certe ullum Didymeum apud Hesychium omissum esse veri sit dissimillimum, nedum tam multa.

Talem igitur sibi ducem praeoptavisse Pollucem, qui, quo ipse nolebat pervenire, saepe exspatiaretur, quo vero

tenderet ibi plane esset alienus? Et in tanta subsidiorum copia hominem Athenis, in ipsa litterarum arce, versantem, cum posset et commodissimis et vero amplissimis uti priorum collectis messibus, tale potissimum adiisse horreum, in quo quod quaereret non extaret, extarent sane multa quibus uti nolebat? Cras credo.

Sed ut plane intellegatur, cur a Pollucis consilio alienissima fuerint Didymi lexica, reputandum est, prorsus diversum utrumque complexum esse vocabulorum ambitum. Nimirum Polluci, cum varia vitae humanae officia et subsidia curiose esset expositurus, quaecunque ad unamquamque huius materiae partem pertinerent vocabula conquirenda, digerenda, explananda erant, sive illa apud eos scriptores quos in canones receperant Alexandrini legebantur sive minus. Didymus contra eas tantummodo voces rariores explicabat, quae in comicorum eorumque quos accuratius pervestigaverat tragicorum fabulis alicubi usu veniebant. Unde in eo potissimum, quem nos praecipue curamus, loco fieri fere necessarium erat, ut apparatus scaenici paucissimae tantum partes apud Didymum explicatae essent; nempe in tragicorum fabulis nulla omnino harum rerum fiebat mentio, in comoediis frequentior quidem sed ea et fortuita neque, ut par est, plena. Sed quaeret fortasse aliquis, unde ego hoc sciam, comicorum tantum et tragicorum poetarum λέξιν complexum esse Didymum, non data opera de omnibus rei scaenicae partibus quaestiones instituisse; quam rationem veri simile est secutum esse Aristophanem Byzantium, cuius lexico multa debet Didymus. Sed certa res est. Scimus nimirum omnes post acutas Schmidtii quaestiones, ex Didymi *commentariis* postea demum conflata esse illa lexica [1]; intelleges igitur, nisi forte in transcursu ne

1) Dubitari potest, utrum ab ipso Didymo an ab illius discipulo aliquo in lexica digesta sit quae in commentariis primum proposita erat doctrina: cf. *Bergk.* annal. philol. 1868 p. 367 adn. 11. A *Theone* (de quo cf. *Ahrens.* bucol. gr. II p. XXVIII—XXX. *Lentz.* Herodian.

potuisse quidem ullam in illis commemorari vocem quae apud poetas tragicos comicosque non legeretur.

Denique, ut jam rivos claudam, etiam propterea a Polluce adhibita esse Didymi lexica strenue nego, quia qui secundum *materiem* singula vocabula componebat profecto non usurus erat lexico aliquo, in quo κατὰ στοιχεῖον voces decurrebant. Ita enim Didymi lexica instituta fuisse in epistula testatur Hesychius [1]. Eodem autem modo disposita fuisse Pamphili Zopyrionisque vastum opus, Pollionis,

---

I p. CLXVIII) institutam esse hanc formae mutationem proclivis est conjectura, minime tamen ad veri speciem perducta a *Nabero* prol. Phot. p. 10. Id unum qui in his studiis versatus est facile largietur, Theonem, si modo *post* Didymum vixerit, illius scrinia compilasse; qui erat constans illorum temporum mos.

1) Nam quod primum quidem secundum materiem disposita edidisse lexica sua Didymum, postea demum ipsum instituisse epitomas κατὰ στοιχεῖον ordinatas conjecit *H. Weberus* Philol. Supplem. III 545 ss, id mihi non magis quam *Maur. Schmidtio* persuasit. Unicam hanc illius conjecturae caussam profert, quod ab Harpocratione s. ξηραλοιφεῖν (p. 134 Bk.) Didymi τραγικῆς λέξεως liber vicesimus octavus laudatur. (*Sehmidt.* Didym. p. 84.) At hinc sane *libris* distributum fuisse illud opus colligendum est; diverso ab Harpocratione Diogenianum Didymi opere usum esse, ego equidem non prius concludendum esse concedam, quam conciliandi Hesychii cum Harpocrationis testimonio omnes vias praeclusas videro. Verum in promptu est qua hoc efficiatur non nimis, ut puto, violenta ratio. Reputa enim, quaeso, de vocabulo aliquo a *quarta decima* littera, quae est ξ, incipiente, in *vicesimo octavo* libro disputasse Didymum. Jam si tenes, κατὰ στοιχεῖον disposita fuisse Didymi lexica, num temerarius tibi videbitur, qui *binos cuique litterae libros* destinatos fuisse coniciat? Quid igitur? itane in binos ille libros dissecuit unamquamque litteram, ut non interrupto litterarum ordine libro alteri dimidiam vocabulorum partem tribueret, dimidiam alteri? Minime vero: quid enim tum libris opus? nec pluribus libris discripsisse veteres lexica nihil nisi litterarum ordinem curantia ipse Weberus abunde demonstravit. Immo duo capita instituit, quibus ita dispertitae erant singulae glossae, ut quae ab eadem littera inciperent vocabula in binas semper dividerentur classes, singulisque et litteris quas vocamus initialibus et classibus singuli destinarentur libri. At bina illa capita qualia fuisse dicemus? Possit huc facere videri Macrobii ille quo Weberus usus est in Saturnaliis Conviviis locus (V 18 § 11 p. 322 Eyss.), Didymi τραγῳδουμένην λέξιν laudantis: hanc enim Weberus classem aliquam majoris quod sibi finxit lexici tragici fuisse putat.

Aelii Dionysii, Pausaniae aliorumque lexica constat. Quorum quomodo instituti fuerint libri cum haud injucunda quaestio sit necdum satis pervestigata, de ea fortasse alia occasione quaedam proponam. Nunc hoc posuisse satis faciet, *neque illis neque ullis aliis usum esse Pollucem doctrinae receptaculis ita institutis, ut secundum litterarum ordinem singulae voces collocatae essent.* Nimirum non erat, cur ad eiusmodi lexica sibi minime commoda confugeret, sed habebat quibus multo promptius faciliusque suam in rem uteretur amplissima subsidia.

Et cum multa apud Pollucem eadem ratione narrari atque apud Didymum supra jam monuerimus, multo autem pluribus etiam, quam accurate demonstrari possit, in rebus inter utrumque convenire facile sit intellecturus, qui vocabula ex comicis tragicisque poetis excerpta tantum non omnia *Didymo* debere Hesychium reputaverit: — quid veri similius quam *eosdem* fere ac Didymum *auctores* secutum esse Pollucem?

Didymum autem cum amplissimas doctrinae copias undecunque potuerit studiosissime contulisse sciamus, tum

---

At in *tragico* lexico quamnam aliam λέξιν explanatam fuisse putabimus, quam *tragicis propriam?* ut mirum sane hoc fuerit *caput*, totum fere lexicon occupans! Quare aut aliud Didymi opus respexisse Macrobium puto, aut *Schmidtio* assentiendum, qui τραγῳδουμένην illam λέξιν non diversam esse a τραγικῇ censet, Didym. p. 84. Alia igitur distribuendarum glossarum ratio circumspicienda est. Glossam illam ξηραλοιφεῖν ex *Sophocle* enotaverat Didymus (Pel. fr. 437 Dindf.). Jam cum *Sophocli* multo majorem quam ceteris poetis tragicis omnibus operam navasse Didymus videatur (v. *Schmidt.* Did. p. 93.), nimiumne dices a veri specie discedere, siquis singulis in litteris primum quemque librum reliquis poetis tragicis, secundum Sophocli destinatum fuisse dicat? Nam videtur haec revera ratio fuisse qua illos poetas Didymus tractavit: Sophocli cum acerrimum studium praestiterit, Aeschylo multo minorem operam dedisse videtur (v. *Schmidt.* p. 240 sq.), minorem etiam Euripidi, minimam Achaeo (Schm. p. 305 sq.) et Joni (id. p. 301 sq.). — Sed haec ut incerta esse concedam: illud vero certum est, κατὰ στοιχεῖον ordinata fuisse Didymi lexica, neque illud nimis incertum, *quadraginta octo* libros complexam esse λέξιν τραγικήν.

priorum lexica et onomastica curiose consuluisse certum est. Possit igitur quis sperare, ex antiquiorum lexicorum fragmentis ad nostram quaestionem solvendam non exigua nos lucraturos esse. Sed qui periculum fecerit, is hanc spem mox abiciet; tam exigua enim supersunt largissimarum quondam huius generis divitiarum fragmina, ut plane nequeat decerni, utrum multa ex illis antiquioribus lexicographis in Pollucis compilationem transierint necne; nedum ut demonstrari possit, vel unum horum scriptorum ab ipso Polluce usurpatum esse. En, producam clarorum lexicographorum longam seriem: *Philetam Coum* [1]), *Euphorionem* [2]), *Nicandrum Colophonium*, *Philemonem* [3]),

---

1) Philetae Ἀτάκτων fragmenta collegit *Bachius* Phil. rel. p. 71 sqq.; ex eis ἐκπωμάτων nominibus, quae ex Philetae glossis enotata habet Athenaeus, nullum apparet in parili Pollucis commentatione VI 95 sqq. Sed cum Phil. ap. Ath. XI 783 D. cf. Poll. X 175. — Ceterum quae de poculis docet Pollux VI 95 sqq. non ex ipso quidem Pamphilo exscripta sunt, cui sua debet in ἐκπωμάτων enumeratione undecimo libro inserta Athenaeus, sed ex talibus certe compilata libris quos in eadem re Pamphilus quoque usurpavit. Veluti quae XI 26 p. 783 E profert Athenaeus: ἀντιγονίς· ἔκπωμα ἀπὸ τοῦ βασιλέως Ἀντιγόνȣ, ὡς ἀπὸ Σελεύκȣ σελευκὶς καὶ ἀπὸ Πρȣσίȣ πρȣσίς, ea tam aperte ex eodem fonte fluxerunt atque Pollucis in § 96 de his poculis doctrina, ut eorum ope sanari possit Pollucis locus. Haec enim libri praebent: ἀντιγονίδα (ἄν τις εἴποι) καὶ σελευκίδα καὶ ῥοδιάδα ἢ ῥοδιακὰ ἀπὸ τῶν χρησαμένων. Quibus in verbis falsum esse illud ἢ ῥοδιακά Bekkerus intellexit; certe ῥοδιακόν dici debebat (cf. Hesych. Phot. s. v. Athen. XI 496 E.). Porro haud inepte conjungi posse ἀντιγονίδα σελευκίδα ῥοδιάδα Polemonis locus ap. Athen. XI 497 F demonstrat, non demonstrat, vas rhodiacum apte ‚ἀπὸ τῶν χρησαμένων' dici nomen accepisse. Tanquam κώθωνας soli siccaverint Lacedaemonii, κόνδυα soli Cappadoces! Scribendum igitur censeo: ἀντ. καὶ σελευκίδα καὶ π ρ ȣ σ ι ά δ α (sive πρȣσίδα malis; nam analogiae utraque forma convenit.).

2) Euphorio num *Hippocratis* tantum λέξιν collegerit, an omnium clarorum scriptorum glossas sex libris explanaverit, nunc dubium est, postquam is qui illud demonstrare visus erat *Meinekio* anal. Alex. p. 29. 62, Erotiani locus sociatis *M. Schmidtii* (Didym. p. 24) *Kleiniique* viribus genuino nitori sive malis obscuritati suae restitutus est, p. 32 Kl.

3) Philemon cum et in libro περὶ παντοδαπῶν χρηστηρίων et in γλώσσαις de *panibus* egisse dicatur ab Athenaeo III 114 D/E et XI

Istrum [1]), *Callistratum Artemidorumque* [2]) Aristophaneos, *Neoptolemum Parianum*, *Heracleonem Ephesium* [3]), *Nicandrum Thyatirenum*, *Apollodorum*, *Theodorum* [4]), *Dorotheum*

---

483 A. XIV 646 C, quid veri similius quam *idem opus* nunc *glossas* minus accurate, nunc accuratius περὶ παντοδαπῶν χρηστηρίων vocatum esse a deipnosophista? Hinc nescio an forte conjectura fieri possit de simillima *Nicandri* Colophonii caussa. Huius *glossae* aliquotiens laudantur ab Athenaeo, Eustathio, aliis (v. *E. Meier*. opusc. II 30), περὶ-χρηστηρίων πάντων βιβλία γ' eum scripsisse Suidas testatur. Quid si idem opus et hic et illi respexerint? onomasticum nempe utensilia enumerans. Scio prorsus diversa de Nicandri χρηστηρίοις sentire *Ottonem Schneiderum* Nicandreorum p. 27; sed conjecturae locum esse ipse vir doctissimus concessit.

1) Istri λέξεις Ἀττικαί uni Eustathio p. 1627, 15 laudantur; sed illinc quoque expellendum esse Istri nomen injuria existimavit *Nauckius* Arist. Byz. p. 107 n. 42; cf. *Mueller* hist. fr. I 426. Quanquam mirum est, de tanti auctoris glossario omnes praeterea grammaticos silentium agere altissimum. Quid si Ἀττικοῖς vocum quarundam Atticarum enarrationem ita immistam dicamus, ut hoc glossarium caput peculiare effecerit? Multigeneris doctrinam in illo opere constipatam fuisse alter titulus significat; Ἄτακτα enim et σύμμικτα idem liber vocabatur (cf. *Mueller*. hist. I p. XC), quo nomine etiam glossaria certo ordine destituta constat inscripta fuisse.

2) Artemidorum recepisse Epaeneti ὀψαρτυτικά ex Ath. IX 387 D/E jure conclusit *Naberus* prol. Phot. p. 22; minus certa *Rankii* est conjectura (de Hesych. p. 108), etiam Aristophanis Byzantii Laconicas glossas, Hermonactis Creticas ab eo compilatas esse suspicati. Ceterum de Artemidori *aetate* quae disputavit *Ahrensius* bucol. gr. II p. XXXVII sqq., ea vereor ne nimis artificiosis ratiocinationibus nitantur.

3) Heracleonis glossas (de quibus cf. *Rankius* de Hes. p. 111. 112. et *Meierus* opusc. II 27) in epitomen redegisse videtur *Claudius Didymus*, Heraclidis Pontici junioris, ut videtur, filius. Hunc enim praeter alia quaedam edidisse tradunt Suidas et Eudocia ἐπιτομὴν τῶν Ἡρακλέωνος; unde quod *M. Schmidtius* Didym. p. 3 exsculpsit: ἐπ. τῶν Ἡρακλείδυ λεσχῶν, id arbitrarium visum est etiam *M. Hertzio* Mus. rhen. XVII 581 n. 14. Ego scripserim: ἐπιτομὴν τῶν Ἡρακλέωνος ὀ δ, i. e. ὀνομάτων.

4) Theodorus Apollodori glossas (cf. Meier. p. 31) compilasse videtur: cf. Ath. XIV 646 C. Athenaeo nisi ex Pamphilo non notum fuisse Theodori opus et per se veri est simillimum et diserto testimonio, XV 677 B, constat.

Ascalonitam, Demetrium Ixiona, Epaphroditum[1]), *Seleucum, Tryphonem, Irenaeum.* Hi tamen omnes nec quid docuerint prae nimia fragmentorum exiguitate cognosci potest, nec utrum in singula capita singulas materias distribuerint an κατὰ στοιχεῖον voces collocaverint scimus. Eorum autem qui forte litterarum ordinem secuti sint, a Polluce ne unum quidem adhibitum esse modo dixi. Paucissimi sunt, quos non lexicorum sed onomasticorum ordinem servasse confidenter pronuntiare possumus; veluti Irenaeus, Tryphon[2]), eique auctores qui ἄτακτα vel σύμμικτα glossaria condiderunt; quos nullum omnino consilium secutos esse parum probabile est, sed varia glossarum capita laxo vinculo conexuisse conicere licebit. Sed ab his quoque multa mutuatum esse Pollucem ut non sine veri aliqua specie suspicari licet, ita demonstrari neutiquam potest. Sed unus restat isque ante Didymum omnium facile lexicographorum et uberrimus et celeberrimus, quemque eandem fere ac Pollucem vocum enarrandarum rationem secutum esse certo scimus, *Aristophanes Byzantius.* Huius enim λέξεις in capita disscriptas fuisse singulas vocabulorum familias comprehendentia nemo nescit: atque hinc in Pollucis onomasticon permulta transiisse eo probabilior suspicio est, quia neque

1) Epaphroditus condidit lexicon κατὰ στοιχεῖον dispositum; siquidem veri summam speciem assecuta est *Ahrensii* sagacitas, in scholio Theocrit. I 117 restituentis: τȣ̃ Ἐπαφροδίτȣ λέγοντος ἐν τῷ περὶ λέξεων κατὰ στοιχεῖον (ἐν τῷ περὶ στοιχείων codex.): bucol. gr. II p. 476.

2) *Tryphonem* in libris περὶ ὀνομασιῶν rerum curasse necessitudines, non ordinem litterarum, docent frgg. 109. 113 Vels. (= Ath. XIV 618 C.). *Irenaei* autem cum hos deinceps Suidas libros enumeret: Ἀττικῶν ὀνομάτων βιβλία γ′. Ἀττικῆς συνηθείας τῆς ἐν λέξει καὶ προσῳδίᾳ κατὰ στοιχεῖον βιβλία γ′, concludere licet, *non* κατὰ στοιχεῖον ordinatum fuisse prius opus. Ceterum certa quadam de caussa duo Irenaei fragmenta ab Etymologo M. s. κομψός et a Socrate hist. eccl. III 7 servata, non Ἀττικῇ συνηθείᾳ vindicanda censeo cum *Meiero* opuscul. II 42, sed tertio cuidam operi a Suida commemorato, nempe περὶ ἀττικισμȣ̃ libro singulari.

qui, post Aristophanem, librum condiderit Pollucei similiorem, neque qui res ab illo tractatas suo marte denuo perquisiverit, grammaticum novimus ullum: cf. *Nauckius* Arist. Byz. p. 76. p. 151. Et revera etiam ex miseris magnifici quondam operis reliquiis quantum Aristophani noster debeat aliquatenus concludere licet. Nunc tamen, cum tandem ad ipsam quae nobis proposita est quaestionem properandum sit, nolo in singulis rebus examinandis diutius immorari. Sed quicunque duorum lexici Aristophanei περὶ ὀνομασίας ἡλικιῶν et περὶ συγγενικῶν ὀνομάτων capitum misella frusta cum Pollucis de eisdem rebus commentationibus accurate comparaverit, is tantum non omnia illum ab Aristophane mutuatum esse cognoscet 1). Etiam inter incertorum capitum fragmenta haud pauca sunt, quae Aristophanis copiis studiose usum esse Pollucem arguant 2).

1) Brevissime quae huc maxime faciant indicabo. Cum Aristoph. p. 88—91 Nauck. cf. Polluc. II 88 sqq.; cum Ar. p. 99 Poll. II 17. 18.; cum Ar. p. 99. 100 Poll. I 182; cum Arist. p. 101. 102 Poll. I 251; cum Ar. p. 104 Poll. VII 187 (cf. VI 55); errat enim Nauckius qui ab Aristophane diversa sentire Pollucem contendit; cum Ar. p. 104—107. Poll. VII 184. — Porro in altero capite cf. Aristophanis commentationes cum Poll. III 5 sqq.; quo in loco id praecipue animadvertendum, quod in poetarum vocis γαμβροί abusu notando cum Aristophane p. 133 consentit Pollux § 31. Etiam III 28 sq. ex Aristophane (p. 143) hausisse puto Pollucem, quanquam qui dicti sint ἀνεψιαδοῖ parum intellexit. — Cum Ar. p. 146. 149 cf. Poll. III 40. 41. 47.

2) δίοπος Aristoph. p. 186 = Poll. VII 139, κρησέρα Arist. p. 186 = Poll. VI 74; πρόξενος ἰδιόξενος [ἀστόξενος], δορύξενος Aristoph. p. 191 sq. cf. Poll. III 59. 60; θῆτες Arist. p. 194 = Poll. III 82. 33 (quo loco ne id quidem plane neglegendum, quod ad *Solonem* provocat Pollux, cuius ἄξονας ab Aristophane diligenter excussos esse constat: v. Ar. p. 131. cf. p. 194); ἡ στίμμις Arist. p. 205 = Poll. V 101 (eodem *Jonis* loco uterque utitur); μαγίς Ar. p. 206 = Poll. VI 83. X 81. 82; λεπάστη Ar. p. 220 = Poll. X 75 (quo loco maxime notabilis cum Aristophane Pollucis unanimitas, cum contrariam opinionem tuitum esse sciamus Ameriam: v. Athen. XI 485 D); σκινθαρίζειν· ῥαθαπυγίζειν Ar. p. 223 sq.; cf. Poll. IX 26; ὄσπρια Ar. p. 228 = Poll. VI 60. — Denique id quoque memorabile, quod fragmenta quaedam Aristophanea, ad summam usque obscuritatem mutilata a compilatoribus, collatis demum Pollucis geminis locis aliquam certe praebent sententiam: ve-

Quae praeterea instituisse scimus Aristophanem περὶ προςφωνήσεων et περὶ βλασφημιῶν capita, eorum neutro, pro operis sui consilio, uti voluit Pollux; in animantium vocibus enumerandis (V 86 sqq.) num Aristophanis de eadem re commentationem (de qua cf. *Reifferscheid.* Sueton. rell. p. XVIIII) inspexerit ignoramus. Altero capitum genere, quibus Laconicas Achaicasque (cf. *M. Schmidt.* quaestt. Hesych. p. LXX) glossas rariores propriis tanquam areolis ille collegerat [1]), num Pollux suam in rem uti potuerit dubito.

In tanta tamen fragmentorum paucitate et exiguitate cum totiens inter Aristophanem Pollucemque accurate conveniat, argumento id videbitur haud levi esse, adhibitas fuisse prae ceteris Aristophanis λέξεις in Pollucis onomastico conflando. Nihilo minus vanam esse hanc speciem neque ipsum certe Aristophanis librum Polluci ad manus fuisse, inde apparet, quod inter paucas illas, quas nos hodie cognitas habemus, Aristophanei operis reliquias nonnullae extant, in quibus diversa docentur a geminis Pollucis locis; id quod non factum esse consentaneum, si tantum revera ducem ipse Pollux secutus esset.

---

luti cum fr. LXXII p. 218 cf. Polluc. VI 40; *Aeschyli* versum Aristophani debere videtur Pollux; eodem versu ad Phrynichum (ecl. 190) refellendum usum esse Orum, cuius hodie inepte truncata in Antiatticista notula superest (p. 105, 20), *Naberus* prol. Phot. p. 101 suspicatur. Ex Aristophane igitur hunc Aeschyli locum transscripserunt et Pollux et, ex quo Orus sua haurire solet, Didymus. — Porro cum fr. LXXXV cf. Poll. III 35.

1) Nam *Atticas* quidem glossas peculiari capite sepositas fuisse non credo. Primum ei scriptores quorum in altero capitum genere glossas enarraverat Aristophanes. Attici erant tantum non omnes et Atticis utebantur vocabulis, eique prae ceteris in quorum campis laetissima pullulabat glossarum seges plurimi erant in vocabulis mere Atticis usurpandis. Deinde vero vocem *Rhodiacam* (ἄμβων) ἐν Ἀττικαῖς λέξεσιν (fr. 28 p. 186) explicasse Aristophanem narrat Erotianus. Quare malim credere, et hoc et aliis omnibus locis *Atticas* λέξεις *totum* Aristophanis opus dictum esse; a parte nimirum potiori. Eadem ratione *Pamphili* quoque *universum* glossarium Ἀττικαὶ λέξεις alicubi audit.

Ad verbum excitatur apud Athenaeum XIV 619 B (fr. 27 p. 184 N) Aristophanis de variis odarum generibus locus; pleniora legimus et alio ordine disposita ap. Poll. IV 53 sq. Quae de *voce* ἐπιστάτης pro vulgato παιδοτρίβης adhibita disseruit Aristophanes p. 215 fr. LXVII, non omisisset, credo, Pollux, si Aristophanis λέξεις ipse usurpasset. Κύρβεις quadrangulares fuisse pronuntiaverat Aristophanes (p. 219 sq.); triangulares fuisse affirmat Pollux VIII 218, Eratosthenem (p. 211 Bernh.) secutus, cuius doctrinam more suo propagavit Didymus (cf. *Schmidt.* Did. p. 59.), unde in Hesychium Photium alios transiit (cf. *Naber* Phot. I 360.) — Plura noli dubitare quin inventuri simus, si paullo uberiora teneremus Aristophanis fragmenta. Nihilo minus id certum est, adhibitum fuisse a Polluce eiusmodi aut librum aut libros, in quibus Aristophanis doctrina recepta fuerit. Veri est simillimum, ex uberrimo illo fonte plurimos suo prata irrigasse: scimus *Didymum* usum esse Aristophanis libris; et *Tryphonem* Alexandrinum, onomastici conditorem, haud raro eiusdem expilasse doctrinam demonstravit *Naberus* prol. Phot. p. 76 sq. Huius igitur aut eiusdem aetatis alius cuiusdam grammatici onomasticon suum in usum converterit Pollux. Sed vetustiorum etiam glossographorum eorumque qui post Aristophanem non priorum libros describere satis habebant, doctrinam in Pollucis opere tanquam in receptaculo aliquo collectam esse, maxime sane probabile esse concedo. Noli tamen credere antiquiorum illorum vel unum ab ipso Polluce tractatum fuisse. Dudum enim integri fontes in rivulos, in vastos lacus collecti erant rivuli; ita ut ad ipsos fontes ascendere neque commodum esset, et saepe fortasse ne fieri quidem facile posset. Veluti ex illis quos supra enumeravi lexicographis cum multorum sciamus Athenaeo nobisque solo *Pamphilo* intercedente servatam esse memoriam, tum ne huic quidem maximam illorum grammaticorum partem unquam fuisse inspectam crediderim. Quaecunque enim inter lexicographos illos, ex

Pamphilo citatos ab Athenaeo, et Hesychium convenire accurate demonstravit *Rankius*, ea cum in Diogeniani Περιεργοπένητας ex *Pamphilo* non potuisse transire persuasum habeam, communi potius illa fonti debere censeo, non tam Diogenianum et *Athenaeum* quam Diogenianum et *Pamphilum*. Jam vero communem utriusque fontem cum *Didymi lexica* esse constet, satis, opinor, firmata haec est conclusio, longe plurimos, nempe omnes fere quos Rankius enumeravit lexicorum auctores etiam Pamphilo nisi ex *Didymo* cognitos non fuisse. Atque potest hoc etiam aliunde demonstrari de *Aristophane, Phileta, Artemidoro, Theodoro;* id quod nunc significasse satis habeo. (cf. Philet. fr. 5. Artemid. ap. Hesych. σμῖλαξ, schol. Arist. Vesp. 1169). Ita *Didymo* paullo confidentius non pauca licebit fragmenta restituere et vero de *Athenaei* fontibus non nulla satis tuto edicere. Nam cum ipsius Didymi lexica ab Athenaeo versata esse non possit quantum video ullo modo demonstrari, ubicunque cum Hesychio consentit Athenaeus, revera id consectarium erit quod Rankius Schmidtiusque non tam demonstraverant quam augurati erant: Pamphili nempe lexicon eis locis compilatum esse. Nisi quod ea una ubique adhibenda erit cautio, quod Athenaeus haud raro ipse eisdem usus est libris, quos in lexicis suis componendis adhibuerat Didymus.

II.

Sed dudum, puto, quo tandem tendam miratus erit lector, longae morae olim impatiens. Nam longis ambagibus quid consecuti sumus? Ut Didymi libris *non* usum esse Pollucem intellexerimus. Ut eandem tamen in universum doctrinam atque in libris Didymeis in Pollucis quoque onomastico contineri perspexerimus. Ut veterum glossographorum collectas opes in Polluce extare augurati simus,

quorum nullus Aristophane plura et meliora contribuerit. Quem vero ipse Pollux ducem secutus sit, id neutiquam demonstratum est; in rebus praesertim scaenicis cui suam doctrinam debeat nondum intelleximus. Verum est. Sed cave hoc mihi culpae vertas. Nam desperata sane res est; cum quae primo obtutu videri possint usum aliquem praebere alia subsidia, lexica dico, ea nulli omnino utilitati sint, nisi ut eorum ope veteri solidoque fundamento sua superstruxisse Pollux demonstrari possit. De rebus *scaenicis* quaecunque scimus aut Polluci debemus aut ceteris lexicis; jam dic mihi, re ita ut demonstravi comparata, unde tandem aliqua cum certitudine Pollucis his in rebus fontes poterimus cognoscere? Hoc unum volui longa ista quam praemisi disputatione evincere, antiquis probisque Alexandrinorum doctrinae copiis, multis fortasse intercedentibus, at usum tamen esse Pollucem: ut hinc de auctoribus in apparatu scaenico describendo a Polluce adhibitis in universum certe fieri possit conclusio. Sed plura si expetis, vide quam misere comparata sit res nostra. In poculorum nominibus enarrandis, in unguentis enumerandis, in victu describendo, aliis in rebus frivolis explicandis quos auctores secutus sit Pollux fortasse poterit erui: nam his de rebus largas latasque disputationes instituit *Athenaeus*, qui gaudet cumulatis veterum testimonis; in rebus scaenicis quibus Pollux usus sit subsidiis noli mirari si ita non potero indicare ut nequeat dubitari. Lexicographorum in hac re usum non esse demonstravisse mihi videor. Unus poterit in censum venire *Athenaeus*: sed apud hunc de rebus ad scaenam proprie pertinentibus ne γρῦ quidem. Nihilo minus numquid possimus conjectura assequi conandum est. Sed ea de re prius quaestio poterit institui, utrum librum suum ex antiquioris alicuius grammatici onomastico integrum transscripserit Pollux, an ex multis de singulis rebus commentariis tanquam tessellatum opus composuerit. Qui commodissimum plerumque iter illius aevi homines litteratos

praeoptavisse meminerit, de priore facile ratione cogitabit. Sed vereor ne fallatur. Quanquam enim ipsi Polluci, qui in praefatiunculis quantum consumpserit in opere suo condendo laboris solet jactare, nolim nimiam fidem haberi; non unius tamen operis epitomen nos tenere hinc apparet, quod permultae res duobus locis exhibentur; et ita quidem solent altero loco induci, quasi nunquam antea commemoratae fuerint. Ita *panis* nominationes et I 248 et VI 32 recensentur; *vicini* quibus appellentur vocibus et VI 113 et IX 37 docemur; in *rure colendo* quae usu veniant vocabula legimus I 221 sq.: eadem fere repetuntur VI 140 sq. Sunt haec pauca ex multis exempla; eiusmodi autem neglegentiam in eo tantum scriptore intellegi posse censeo, qui ex variis variorum auctorum libris opus suum longis temporum intervallis compilet. Jam vero poterat et ex variis *onomasticis* et ex variis de singulis rebus *commentationibus* onomasticorum in modum institutis — quales enumerat *M. Schmidtius* quaest. Hesych. p. CLXXI. p. CLXXVI sqq. — opus suum componere. *Utrisque* videtur usus esse.[1]) Nam

1) Ex ὀψοποιικῶν συγγραμμάτων auctorum indiculo VI 70. 71 noli quicquam concludere. Nam cum prorsus singularis sit in toto Polluce haec in testibus evocandis luxuries, et offendat praeterea ipsius indicis collocatio, neque in fine totius de condimentis disputationis positi neque in capite, sed mediae commentationi interjecti, nescio an non docti alicuius interpolatoris manum hic deprehendamus; quali etiam Jubae locum debemus, in codicibus Antverpiensi Vossianoque et Palatino libri V paragrapho 88 assutum. Sed fac, ipsum hunc indicem confecisse Pollucem; legisse tamen ne eum quidem vel unum horum scriptorum veri est simillimum. Primum Zopyrini Sophonis Tyndarichi Simonactidis nomina ex Batonis Εὐεργέταις exscripsit: cf. Athen. XIV 662 C. D. Sed ceteros quoque scriptores quin ex eodem tantummodo auctore noverit cui etiam Batonis versuum notitiam debeat, non dubitabit quicunque egregiam *Did. Volkmanni* de similibus apud alios compilatores indiculis commentationem legerit (symb. phil. Bonn. fasc. II). Aut igitur ille auctor talem ipse indicem alicubi exhibuit, aut, id quod malim credere, ex variis variorum de condimentis scriptorum testimoniis in eiusdem illius auctoris libro dispersis hanc sibi tabulam confecit Pollux. Ceterum in ὀψαρτυτικῶν συγγραφέων indice

in libri *noni* praefatione in *Gorgiae* se onomasticon antea sibi incognitum nuper incidisse ait: quod quo jure ὀλίγου λόγου dicat fastidiosus sophista nos nescimus; id tamen hinc concludere licet, eiusmodi onomastica illum inspexisse. Jam in *decimi* libri praefatione se *Eratosthenis* Σκευογραφικόν non sine labore sibi comparavisse dicit: ὡς δ' εὗρον μόλις, inquit, οὐδὲν εἶχεν ὧν ἤλπιζον. Cave hoc vitio vertas Eratostheni, doctissimo grammatico: nam quid Pollux quaesiverit quis dicat? Certe doctissimos uberrimosque veterum Alexandrinorum commentarios non quaerebat. Sed commentarios singulas docti apparatus partes commode complexos eum anquisivisse apparet. Ceterum *Eratosthenis* illum librum eundem esse qui ab aliis Ἀρχιτεκτονικός appelletur, et adnexum fuisse amplo περὶ ἀρχαίας κωμῳδίας operi probabilis est *Bernhardyi* conjectura (Eratosthen. p. 204. 205.). Ex eodem igitur libro hausta esse puto quae ad Eratosthenis περί κωμῳδίας commentarios refert Pollux X 60, et licebit sane suspicari, in decimo saltem Pollucis libro plura etiam inesse quae Eratostheni ille subfuratus sit. In ceteris vero libris quominus Eratosthenis doctissimas commentationes a Polluce adhibitas esse credamus, vetamur ipsa illa de qua modo dixi decimi libri praefatiuncula; qua hoc certe evincitur, in ceteris libris conscribendis ne notitiam quidem utilissimi Eratosthenis libri habuisse nostrum. Posset enim hanc in opinionem ea re aliquis induci, quod ad Eratosthenem videat provocantem Pollucem I 145 (Er. de com. fr. I p. 205 Bernh.), et longe vero plures in Pollucis onomastico extare locos animadvertat, ubi, tacito auctoris nomine, Eratosthenica praebeatur doctrina. Tria adscribam exempla.

---

quem apud *Athenaeum* XII 516 C legimus valde demiror omitti *Artemidori* nomen nobilissimum. Vide igitur num forte *ipsum* illo loco *Artemidorum* loquentem audiamus. Artemidoro quantum debeat Athenaeus nunc divinare tantum possumus; sed plurimum sane ab illo mutuatum esse deipnosophistam qui huius loci: I 5 B rationes probe consideraverit facile largietur.

Schol. Ven. Arist. Pac. 198 (199 Duebner.) Λυκόφρονά φησιν Ἐρατοσθένης τὸ κότταρον λέγειν ἐν ᾧ οἱ φηγοὶ ἐγκάθηνται, οὐκ ὀρθῶς. κυττάρους γὰρ καλοῦσι τὰς τῶν κηρίων καὶ σφηκῶν κατατρήσεις. (Ex Didymi lexico comico: v. Schmidt. Did. p. 45 sqq. Naber prol. Phot. p. 17.). Poll. VII 147: αἱ ὀπαὶ καὶ αἱ καταδύσεις τῶν μελιττῶν καλοῦνται κύτταροι. Cf. 1 254.

ἡδυντῆρες οἱ ἅλες. Ἐρατοσθένης. (Non in Herma, quae erat Bernhardyi opinio p. 142, sed in libris de comoedia: v. Schmidt. Did. p. 55.) Hesych. — Ἐκαλοῦντο δὲ καὶ οἱ ἅλες ἡδυντῆρες. Poll. VI 71.

Hesych. βασιλίδες· ὑπόδημα γυναικεῖον καὶ αὐλητικόν, ὡς Ἐρατοσθένης, ἀπὸ τοῦ βασιλέως κληθέντος. (com. fr. 5. p. 206.) Poll. VII 85: ὑποδημάτων δ' εἴδη· βασιλίδες· ἐφόρει δ' αὐτὰς ὁ βασιλεὺς Ἀθήνησιν.

Praeterea cum Eratosthen. fr. 16 p. 214 cf. Poll. VIII 21., cum fr. 18 p. 217 (coll. *Schmidt.* Did. p. 45.) cf. Poll. V 10., cum. fr. 29. p. 224 cf. P. III 53, cum fr. 46. p. 233 cf. P. II 40., cum. fr. 47. p. 233 sq. (coll. *Schmidt.* Did. p. 44) cf. P. VI 77 cet.

Sed hinc nihil aliud poterit concludi, quam ab illis quos Pollux consulebat auctoribus usurpatos esse Eratosthenis commentarios; ipsum cur illos ante librum decimum conficiendum vidisse negandum sit supra declaravi. Et firmatur quodam modo haec sententia eo quod aliquotiens ab Eratosthenis decretis discessisse Pollucem possumus demonstrare. Veluti quae de vocibus σισύρα et σίσυρνα docet Pollux VII 70 minime conveniunt cum eis quae ab Eratosthene scimus exposita fuisse: v. *Schmidt.* Did. p. 62 sqq. Ceterum quod Eratosthenicae doctrinae tot hodieque in Polluce apparent vestigia nemini mirum erit. Scimus enim, jam vivo Eratosthene ab impudentibus hominibus illius scrinia compilata esse (v. *Bernh.* p. 208.); a Callistrato Aristophaneo in Συμμίκτοις eum adhibitum esse ex Erotiani glossa s. χῖαι (p. 136, 13. Kl.) concludere possumus; a Didymo tanto studio versatum esse Schmidtius docuit, ut

tantum non omnia quae nos hodie tenemus Eratosthenici operis fragmina Didymi lexico comico debere videamur. Et eis praesertim scriptoribus quibus in opere suo compilando usum esse Pollucem supra monui, commodam fuisse Eratosthenis operam inde apparet, quod tum fere omnes ille vitae cottidianae partes enarrasse putandus est, tum multas glossas obscuriores explicuit (v. *Meier*. opusc. II 24), denique onomasticorum in modum singulas cuiusque rei partes deinceps enumeravit. Τὰ μέρη τοῦ ἱστοῦ in Architectonico enarrata fuisse memoriae prodidit Scholiasta Apoll. Rhod. I 565. 567 (cf. Poll. I 91); τὴν κατασκευὴν τῶν ἀρότρων 'Ερ. ἐν 'Αρχιτεκτονικῷ καταγράφει idem dicit III 232. (Eandem rem Pollux I 252 tractavit. [1]) Maxime igitur probabile, me quidem judice, est, in Pollucis onomastico plurima adhuc latere Eratosthenis praecepta. Neque ea in re de qua nobis praecipue quaestio instituenda est, nullum fuisse Eratosthenis usum veri simile est; sed ultra probabilitatis aliquam speciem progredi non licet. Res enim scaenicas in Eratosthenis de vetere comoedia libris accurate fuisse descriptas cum vix opus sit argumentis probare, tum documento apparet quantumvis tenui at idoneo tamen, illo nimirum quod de *theatro vestustissimo* illum egisse certo scimus, Hesychio testimonium dicente s. αἰγείρου θέα (fr. XXXVII p. 229). Hinc suspicari saltem licebit, in Pollucis de apparatu scaenico disputationibus plurima Eratostheni deberi, cuius ex auri massis quanto studio nummulos suos cuderit insequentium grammaticorum sollers inertia multis exemplis compertum est.

Sed ea quoque, quae in rebus scaenicis describendis Eratostheni debere Pollucem suspicari possimus, non ex ipso fonte illum hausisse non est cur repetam. At quonam Pollux ex amni suos deduxerit rivulos cur accurate definiri

---

1) Aratri descriptionem ex *Eratosthene* mutuatos esse et Pollucem et ceteros grammaticos probabilis est *O. Jahnii* suspicio, act. sociat. litt. Lipsiens. 1867 p. 83.

nequeat supra declaravi. Desideratur nempe quae cum nostro comparari possit de rebus scaenicis amplior disputatio, quales aliis de rebus praebet Athenaeus. Sed extant sane apud illum de duabus rebus cum arte apparatuque scaenico artissime conexis satis copiosae commentationes, de *instrumentis musicis* deque *saltationum generibus.* His in rebus si aliqua cum probabilitate quos Pollux secutus sit auctores poterit dignosci, concedendum, puto, aut largiendum saltem erit, eisdem etiam in reliquis scaenici apparatus partibus enarrandis eum usum esse fontibus.

De *instrumentis musicis* Pollux egit IV 58 sqq; apud Athenaeum eiusdem loci extat descriptio IV p. 174 B sqq. Quam si cum Polluce diligenter comparabimus, *ex eodem illum atque Athenaeum fonte hausisse intellegemus.* Neque hanc opinionem propterea abiciemus, quia multa nomina apud Pollucem obvia non legi animadvertimus apud Athenaeum, qui plenam huius provinciae enarrationem instituere nunquam in animo habuit. Multa sane omisit Athenaeus: quae tamen enumerare nil attinet, cum de fontibus ab illo fortasse adhibitis inde vix quicquam simus exploraturi. Neque ex eis nominibus multum discimus, quae aut apud alterum utrum aut apud utrumque breviter tantum commemorantur. Quo in numero haec sunt λύρα κίθαρα βάρβιτον (sed notandum, haec tria jungi etiam apud Athenaeum IV 182 E) ψαλτήριον (Athen. 183 C) τρίγωνον (175 D. 182 F. 183 E.) σαμβύκη (175 D.) πηκτίς (183 B.) φοῖνιξ (XIV 636 B. 637 B) παρίαμβος (183 C.) σκινδαψός (183 A/B.) αὐλοί · κιθαριστήριοι (182 C. 176 F) μεσόκοποι (176 F) δίοποι (176 F) ἡμίοποι (177. 182 C.) παρθένιοι, παιδικοί (177 F) [παράτρητοι Poll. 81. num forte eaedem sunt tibiae quas ὑποτρήτως vocat Ath. IV 176 F?] δακτυλικοί (176 F). Hoc tamen his quoque exemplis probatur, haud ita dissimilem a Polluce auctorem secutum esse Athenaeum. Sed multo clarius id inde apparet, quod omnibus illis locis ubi paullo ampliorem cuiusque instrumenti musici explanationem protu-

lerunt, ita interse consentiunt ut de communi fonte cogites necesse sit.

De ἐπιγονείῳ lyrae genere haec narrat Pollux § 59: ἐπιγόνειον δὲ κέκληται ἀπὸ τοῦ εὑρόντος· ὁ δ' Ἐπίγονος ἦν γένει μὲν Ἀμπρακιώτης, τιμῇ δὲ Σικυώνιος πρῶτος ἐπικρούσας ἄνευ πλήκτρου. Jam cf. Athen. IV 183 D: τὸ ἐπιγόνειον — διασώζει τὴν τοῦ χρησαμένȣ προσηγορίαν· ἦν δ'ὁ Ἐπίγονος φύσει μὲν Ἀμπρακιώτης, δημοποίητος δὲ Σικυώνιος, μουσικώτατος δ'ὢν κατὰ χεῖρα δίχα πλήκτρου ἔψαλλεν. Vides, in minimis quoque rebus inter utrumque convenire: nam quid ad rem, quod φύσει fuerit Ambraciota ille Epigonus, θέσει Sicyonius? In talibus nisi qui communi utuntur auctore vix ulli scriptores accurate interse consentient.

Νάβλα ubi commemorat Pollux, § 61, ad eundem provocat Philemonis versum, quem multis sane pro more suo cum aliis profert Athenaeus IV 175 C/D.

Inter tibias primo loco posuit Pollux § 74: πλάγιος (αὐλός), λώτινος, Λιβύων τὸ εὕρημα, πλαγίαυλον δ'αὐτὸν Λίβυες καλȣ̃σιν. Possit videri contradicere Athenaeus 175 E, qui affirmat *Aegyptiorum* inventum esse τὸν καλȣ́μενον φώτιγγα πλαγίαυλον. Sed ipse p. 182 D/E haec narrat: οἱ δὲ καλȣ́μενοι λώτινοι αὐλοὶ ȣ̊τοί εἰσιν οἱ ὑπὸ Ἀλεξανδρέων καλȣ́μενοι φώτιγγες, κατασκευάζονται δὲ ἐκ τοῦ καλȣμένȣ λωτȣ̃, ξύλον δ'ἐστὶ τοῦτο γινόμενον ἐν Λιβύῃ. Sed quod ex planta aliqua Libyca fabricabatur instrumentum, id ubi terrarum nisi in ipsa Libya primum in usu fuisse putabimus? Atque fuit haec haud dubie illius quem altero loco Athenaeus exscripsit auctoris sententia. Jam cum hunc ab illo quem priore loco secutus est non diversum esse postea sim demonstraturus, consectarium est, aut sibi ipsi contradixisse illum scriptorem, aut, Alexandrinorum ut laudem etiam augeret, parum accurate huius quoque instrumenti, ab Alexandrinis procul dubio multum usurpati, inventionem illis tribuisse Athenaeum. Quorum cum prius veri sit dissimillimum, in altera opinione quid sit a probabilitate alienum

non video; nam neglegentissime opus suum compilasse Athenaeum posthac pluribus exemplis demonstrabo. Hoc certum, non pugnare cum Polluce Athenaeum.

Pollux § 75 haec habet: μόναυλος· μέμνηται μὲν αὐτοῦ Σοφοκλῆς ἐν Θαμύριδι, τὸ δὲ εὕρημά ἐστιν Αἰγυπτίων· cet. Athenaeus p. 175 E refert: Αἰγυπτίους λέγειν, τὸν μόναυλον Ὀσίριδος εἶναι εὕρημα et provocat ad multos poetarum locos quorum *primus* ipse ille Sophoclis versus est ad quem Pollux respicit: apertum est, Pollucem in primo eoque idoneo exemplo substitisse,[1]) Athenaeum omnia transscripsisse. Hoc unum inter eos intercedit non differentiae sed diversitatis, quod *Osiridis* mentionem omisit Pollux. Neglegerem hoc, nisi § 77 haec legerem: παρὰ δ' Αἰγυπτίοις πολύφθογγος αὐλός, Ὀσίριδος εὕρημα, ἐκ καλάμης κριθίνης. Πολύφθογγον tibiam praeter Pollucem nemo novit. Quid igitur? Discerpsisse quae jungenda erant Pollucem puto, quem oscitantem plus semel possumus comprehendere. Erat sane multisonus μόναυλος; itaque ex uno monaulo, πολυφθόγγῳ fortasse appellato [2]) ab aliquo auctore, duas effecit tibias. Cur autem confidentius proponam hanc conjecturam inde fit, quod revera ex *calamo* fabricatum fuisse monaulum ex eo licet concludere quod καλαμαύλας recentiores Graeci appellabant veterum μοναύλους.: v. Athen. IV 176 C/D.

Tibiam ἐκ νεβροῦ κώλων fabricatam Thebanis tribuunt et Pollux § 75 et Athenaeus IV 182 E, κέρας et σάλπιγγα Tyrrhenis et Pollux § 76 et Athenaeus p. 184 A.

Pollux § 76: γίγγροι δὲ μικρός τις αὐλίσκος γοώδη καὶ θρηνικὴν φωνὴν ἀφιείς, φοῖνιξ μὲν ὢν τὴν εὕρεσιν, πρόσφορος δὲ μούσῃ τῇ Καρικῇ. ἡ δὲ Φοινίκων γλῶσσα Γίγγραν τὸν Ἄδωνιν καλεῖ καὶ τούτῳ ὁ αὐλὸς ἐπωνόμασται. Quibuscum

1) „Ενα" scilicet „τὸν καλλιφωνότατον" ex testium numero deligentem; quod suum fuisse consilium ipse fatetur praef. libr. III. Cf. praef. l. VI. l. X.

2) Cf. ipsum Pollucem § 67: Ἐρεῖς δὲ καὶ πολύφθογγος αὐλός, καὶ πολύκομπος, πολυκαμπής cet.

confer, sis, Athenaei verba p. 174 F.: γιγγραΐνοισι [1]) γὰρ οἱ Φοίνικες — ἐχρῶντο αὐλοῖς, σπιθαμιαίοις τὸ μέγεθος, ὀξὺ καὶ γοερὸν φθεγγομένοις. τούτοις δὲ καὶ οἱ Κᾶρες χρῶνται ἐν τοῖς θρήνοις. — — — ὀνομάζονται δὲ οἱ αὐλοὶ γίγγροι ὑπὸ τῶν Φοινίκων ἀπὸ τῶν περὶ Ἄδωνιν θρήνων· τὸν γὰρ Ἄδωνιν Γίγγρην καλεῖτε ὑμεῖς οἱ Φοίνικες. Haec nisi uni deberi fonti apparet, ego quid sit in hoc genere demonstrare fateor me nescire. Et singulae res et is quo illae collocantur ordo plane consentiunt apud utrumque auctorem.

In transcursu moneo, illos ὑποπτέρȣς αὐλȣ́ς quos § 77 praebent Pollucis codices me judice nunquam extitisse. Novit eiusmodi instrumentum neque Athenaeus neque ullus alius auctor. Tu scribas ὑπερτέλειοι; ita ut in τελείοις tibiis et ὑπερτελείοις conjungendis interse consentiant Pollux et Athenaeus (176 F). Ceterum ea quoque in re inter eos convenit quod *virorum* usui destinatas esse tibias τελείȣς et ὑπερτελείȣς uterque dicit: v. Poll. § 81. Ath. p. 176 F.

Ἐλύμους αὐλȣ́ς et Pollux § 76 et Athenaeus 176 F. *Phrygum* dicunt esse inventum; et ne id quidem neglegendum est, quod inter *tibias* ἐλύμους minime omnes auctores numerabant, si Hesychium audimus.[2]) Σκυτάλια sive σκυταλίας idem tibiae esse genus Athenaeus affirmat; in § 82 hoc nomen ablegavit Pollux.

Una in re Pollux haud mediocriter ab Athenaeo discedit. De *pandura* enim lyrae genere haec tradit § 60: τρίχορδον δὲ ὅπερ Ἀσσύριοι πανδοῦραν ὠνόμαζον. Ἐκείνων δ' ἦν καὶ εὕρημα.[3]) Contra Athenaeus 183 F: τȣ̃ δὲ καλȣμένȣ

1) γιγγραΐνοις *Casaubonus* animadv. p. 197.

2) Quanquam fortasse etiam Pollux inter eos fuerit, qui ἐλύμȣς putabant esse τὰ πρῶτα τῶν αὐλῶν, siquidem haec vox restituenda est §. 70. Ubi qui inter tibiae partes ponuntur ὀλμοί,ei aliunde non noti sunt: v. *Ric. Volkmann.* ad Plutarch. de mus. p. 143. Ego scripserim ἔλυμοι, cuius vocabuli hanc quoque esse notionem s. v. ἔλ. dicit Hesychius. Potuit autem eo facilius in ὀλμοί mutari haec vox quod statim insequitur ὑφέλμια; quo de vocabulo cf. Hesychius.

3) A *Pane* inventam esse panduram Isidorus affirmat, origi-

πανδουρα Εὐφορίων μὲν, ὡς προείρηται (nempe in libro περὶ Ἰσθμίων, A. p. 182 E/F.) καὶ Πρωταγορίδης ἐν δευτέρῳ περὶ τῶν ἐπὶ Δάφνῃ πανηγύρεων (μέμνηνται), Πυθαγόρας δὲ ὁ γεγραφὰς περὶ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης τοὺς Τρωγλοδύτας φησὶ κατασκευάζειν τὴν πάνδουραν ἐκ τῆς ἐν τῇ θαλάσσῃ φυομένης δάφνης. Verum est, vehementer discrepant. Jam vero confer. Ath. XIV 636 F: ibi narratur de *sambuca* διειλέχθαι Εὐφορίωνα τὸν ἐποποιὸν ἐν τῷ περὶ Ἰσθμίων, χρῆσθαι φήσαντα αὐτῷ Πάρθας καὶ Τρωγλοδύτας τετραχόρδῳ ὄντι · ἱστορεῖν δὲ τοῦτο Πυθαγόραν ἐν τῷ περὶ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης. Vides, hic prorsus idem de *sambuca* narrari, et eisdem quidem auctoribus, quae supra de *pandura* relata erant. Haec per se haud parvam movebunt suspicionem: jam si cum Polluce ea conferas, magnas alicubi turbas movisse Athenaeum concedes. Igitur ut diversis auctoribus Pollux et Athenaeus usi esse demonstrentur, hoc certe argumento uti non licebit. Sed tantopere quae in eo quem compilavit scriptore invenit Athenaeus confudisse videtur, ut ea quae refert neque in panduram neque in sambucam conveniant. *Sambucam* enim idem esse instrumentum quod antea *magadis* appellatum fuerit idem ad quem h. l. provocat Athenaeus tradidit *Euphorio* (Ath. XIV 635 A.)[1]: qui igitur idem potuit narrare, *Troglodytarum* fuisse inventum sambucam? Qui etiamsi minus

---

num III 20. Alia quaedam de pandura converrit *Bulengerus* de theatr. II 30 fol. 228b. (Tricass. 1603.)

1) Ceterum tenuissimo discrimine interse discernebantur quinque haec instrumenta ψαλτήριον, λυροφοίνιξ, μάγαδις, σαμβύκη, τρίγωνον (quanquam haec quattuor: λ. μ. σ. τρ. tanquam diversas citharae species deinceps ponit Aristoxenus ap. Athen IV 182F); nam et *magadin* a *sambuca* non diversam fuisse testatur Euphorio, et *psalterium* idem atque *magadin* instrumentum fuisse docet Apollodorus ap. Ath. XIV 636D. Porro lyrophoenicem sambucae fuisse speciem Juba testatur, ap. Athen. IV 175D. Denique cum psalterii formam Δ graecae fuisse simillimam Isidorus memoriae prodiderit, orig. III 21, ne τρίγωνον quidem ab his instrumentis multo diversum fuisse consentaneum est. Quid quod etiam πηκτίς quinque illis instrumentis simillima fuisse videtur: cf. Ath. XIV 635E. 636A/B.

proprie loqui voluerit, eiusmodi quid non poterat dicere; nam magadin *Lydorum* esse inventum Didymus docebat (634 F), *Sapphus* Menaechmus (635 B), *Thracis* alicuius Duris (636 F) et Cantharus comicus a Polluce IV 61 commemoratus: — *Troglodytas* qui pro inventoribus habuerit novimus neminem. De *sambuca* igitur errasse Athenaeum certum est; de *pandura*, si Pollucem conferimus, idem non minus constat. Jam si quaeris quomodo in tam turpes errores potuerit induci Athenaeus, quem doctum hominem fuisse volgata est opinio, fateor mihi aquam haerere. *Troglodytis* autem inventoribus cum videam a Polluce § 60 tribui ψιθύραν[1]) instrumentum κροτάλων non dissimile quale barbaros illos excogitasse multo sane veri est similius, nescio quo errore quae de *psithyra* dicenda erant in *panduram* transtulisse Athenaeum conicio.

Minus aperta res est in *saltationum* nominibus de quibus Pollux inde a § 99 disputat, Athenaeus quaedam profert l. XIV p. 618 C et inde a p. 629 E. Cur tamen minus clarus sit consensus, inde potissimum fieri opinor, quod apud Athenaeum plerumque enumerantur tantum, non explicantur varia ὀρχημάτων genera. Sed id quoque aliquid est, quod plurima nomina a Polluce commemorata apud Athenaeum quoque leguntur; veluti ξιφισμός (629 B) κῶμος et τετράκωμος (618 C.) [Pollucis κωμαστική nescio an eadem forte sit saltatio quam θυροκοπικόν vocat Athenaeus 618 C.] ἡδύκωμος, κνισμός (618 C) καλλίνικος (618 C) ἴγδις (629 F)[2])

1) „ψιθύρα δὲ τὸ μὲν εὕρημα Λιβυκόν, μάλιστα δὲ Τρωγλοδυτῶν.“ Scribi malim μᾶλλον δὲ; ut diversas doctorum hominum sententias disceptet Pollux. Nam *Libyes* troglodytas ego quidem non novi; siquidem *Pharusii*, quorum quosdam τρωγλοδυτικῶς οἰκεῖν dicit Strabo XVII p. 828 Cas. [III 1155, 25 Mein.] a Libycis diversissimi sunt. Ceterum eosdem significare videtur Herodotus IV 183, 11 Bk. (quem Pomp. Mela I 4, 29 Gron. exscripsit).

2) Junguntur hae species μακτρισμός ἀπόκινος ἴγδις et apud Pollucem IV 101 (ubi ἴγδις ex cdd. primus Bekkerus recepit; cf. de hac saltatione etiam Poll. X 103 ib. Hemsterhus. II 1279.) et apud Athenaeum XIV 629 F.

στρόβιλος (630 A) μόθων (618 C) γίγγρας (618 C) κερνοφόρον (629 E.) μορφασμός (629 F) λέων (629 F).

Idem enumerationis consilium illum quem Athenaeus transscripsit auctorem secutum esse atque Pollucis fontem, *junctae* docent ἑκατερίδες et θερμαυστρίδες apud Athen. 630 A item ut apud Pollucem, deinceps collocata ἰωνικόν et ἀγγελικόν apud A. 629 E. et Pollucem § 103.[1]) Ceterum quod apud Athenaeum proxime praecedit saltationis genus Χιτωνέας Ἀρτεμίδος ἴδιον παρὰ Συρακοσίοις — nam haec ita jungenda, neque „Χιτωνέας" illud pro novo aliquo saltationis nomine habendum esse *Meinekius* docuit in Anal. crit. in Ath. p. 302. — id tantopere pro mea facit opinione, nihil ut possit magis. Comparatis enim Pollucis verbis: τὸ δὲ Ἰωνικὸν Ἀρτέμιδι ὠρχοῦντο Σικελιῶται μάλιστα quis dubitabit quin Athenaeus prave intellexerit auctoris sui verba, et cum ἰωνικόν dicere deberet Chitoneae Dianae sacratum fuisse, duo perperam effecerit saltandi genera, quorum alterum Dianae sacrum fuerit, ἰωνικόν appellatum fuerit alterum? Me quidem judice res satis aperta est, neque dubia facile cuiquam erit nisi ei qui Athenaei neglegentiam paene incredibilem nondum satis perspectam habet. — Junguntur denique apud Athenaeum 630 A χεὶρ καταπρανής, χεὶρ σιμή, καλαθίσκος, ξύλου παράληψις, item ut apud Pollucem § 105.

Thracium ὄρχημα dicitur κολαβρισμός cum apud Pollucem § 100 tum ab Athenaeo 629 D[2]).

Prorsus, primo certe obtutu, ab Athenaeo discedere videtur Pollux § 103 ea in re, quod σκῶπα „εἶδος" dicit esse „ὀρχήσεως ἔχον τινὰ τοῦ τραχήλου περιφορὰν κατὰ τὴν τοῦ ὄρνιθος μίμησιν, ὃς ὑπ᾽ ἐκπλήξεως πρὸς τὴν ὄρχησιν ἁλίσκεται."[3]) Audi

---

1) De ἰωνικῷ cf. *Meursius* orchestr. (in Gronovii thes. ant. gr. VIII) p. 1257 sq.

2) De colabrismo *Meursius* orch. (Gronov. thes. VIII) p. 1263: „puto hanc esse quam describit Thraces saltantes Xenophon de Cyri exped. l. VI." (V 9, 5).

3) cf. *Bergk.* lyr. gr. ed. 3. p. 1317.

enim Athenaeum 629 F: ἦν δὲ ὁ σκὼψ τῶν ἀποσκοπέντων τὸ σχῆμα, ἄκραν τὴν χεῖρα ὑπὲρ τȣ̃ μετώπȣ κεκυρτωκότων. μνημονεύει Αἰσχύλος ἐν Θεώροις. Qua tamen in diversitate ne nimis haereamus *Meinekii* facit acumen, qui ab oscitanti plus quam solet Athenaeo confundi duo saltationum genera perspexit, et quae de σκοπῷ dicenda erant de σκωπὶ illum narrasse Hesychianae s. ὑπόσκοπον χέρα glossae ope ultra dubitationem posuit, anal. cr. in Ath. p. 302. Poterat etiam ad duas alias Hesychii glossas provocare, s. σκῶπες et σκωπευμάτων; cf. etiam Phot. II 168 N. σκώπευμα· σχῆμα σατυρικὸν ὡς καὶ ὁ σκοπός· οὕτως Αἰσχύλος, quo loco miror ineptum illud ὁ σκωπός tolerasse Naberum, nam haec nihili est forma. — Haec igitur caussa nullum aliud pondus habet, quam quod hic in aperto errore deprehendi potest bonus Athenaeus. Contra aliis in rebus revera interse dissentiunt Athenaeus et Pollux. Pollux enim § 101 μακτρισμόν (ita enim utique scribendum est cum cd. C.) et ἀπόκινον deinceps enumerat tanquam diversas saltationes; contra τȣ̃ ἀποκίνȣ nomen postea demum in μακτρισμόν mutatum esse refert Athenaeus 629 C [1]). Sed mire accidit quod p. 630 F ipse Athenaeus inter ridiculos saltandi modos μακτρισμὸν ἀπόκινόν τε collocat. Vides ipsum secum pugnare Athenaeum. — Idem dicendum est de eo genere quod τελεσιάς appellabatur: Macedonicam esse ὄρχησιν tradit Athenaeus 629 D; contra 630 A, tanquam nusquam antea quicquam de hac voce dixerit, haec profert: καὶ τελεσιὰς δὲ ἐστὶν ὄρχησις καλȣμένη, στρατιωτικὴ δ'ἐστὶν αὕτη, ἀπό τινος ἀνδρὸς Τελεσίȣ λαβȣ̃σα τȣ̓́νομα κτλ. Haec ultima conveniunt cum eis quae de hoc genere narravit Pollux § 99, nisi quod is addit, *Creta* oriundum fuisse Telesiam illum.

1) Huius loci ope sanari poterit scholium Ar. Eq. 20 p. 34 a Dbn. ἀπόκινον. — ἔστι δὲ καὶ εἶδος ὀρχήσεως φορτικῆς · οἱ δὲ μέλος. καὶ ὁ βαυκισμός. Sed βαυκισμός plane diversum erat saltationis genus; scribendum igitur καὶ ὁ μακτρισμός; quod nomen cum apud recentiores Graecos usitatius esset, poterat ad ἀποκίνου notionem explicandam haud inepte adhiberi.

Cretensem item fuisse dicit Pyrrhichum pyrrhichae inventorem; contra *Laconem* eundem vocat Athenaeus 630 E. Haec tamen diversitas quomodo sit explicanda posthac videbimus; nunc id monebo, eam ad nostram quaestionem dijudicandam nihil facere. Unum possum adicere: quem Athenaeus 630 A commemorat διποδισμόν, eum non diversum esse a διποδίᾳ quam Laconicam saltationem vocat Pollux § 101; hoc aperte demonstrat Hesychii glossa: διποδία· ὀρχήσεως εἶδος — οἱ δὲ διποδισμός· καὶ εἶδος Λακωνικῆς ὀρχήσεως. Comparata hac glossa cum Athenaeo Polluceque, statim perspicies, Diogenianum ex fonte aliquo hausisse simillimo atque Pollucem, sed pleniore aliquanto atque ita comparato, ut Athenaei quoque doctrinam complecteretur: totum recepit Diogenianus, vel eius auctor, dimidiam partem, sed diversam uterque, et Athenaeus et Pollux. —

Vidimus igitur, in organorum enumeratione haud dubie eundem atque Pollucem ducem secutum esse Athenaeum idem in universum de saltationum enarratione poterit praedicari, nisi quod hac in re nonnulla restare intelleximus quae haesitationem moveant. Jam quaerendum est, num forte quibus in instrumentis musicis describendis Athenaeus usus sit subsidiis possit demonstrari.

III.

Dixerat Athenaeus IV c. 75 de hydraulo et eo quidem consilio ut eius inventi laudem *Alexandrinis* vindicaret. Jam pergit c. 76: γιγγραΐνοισι γὰρ οἱ Φοίνικες ἐχρῶντο αὐλοῖς cet. Quae cur hic adnectantur sanam rationem vix quisquam poterit indicare[1]); γάρ autem illud mihi paene

1) Nam quod inde hoc intellegi posse putat *Casaubonus* (anim. in Ath. p. 195. Lugd. 1600), quod „Athenaeus nihil eorum voluerit praetermittere, quae in eo convivio dicta fuerint cui apud Laurentium in-

ineptum videtur. Ego cur haec potissimum nunc proferantur nihil aliud in caussa fuisse satis confidenter affirmo, quam quod eadem disputationem aliquam de hydraulo excipiebant in illo libro quem hic forte expilabat Athenaeus. Eidem igitur libro quae de hydraulo docemur et quae de „γιγγραίνοισιν αὐλοῖς“ profert Athenaeus deberi censeo. Jam cum in tanta neglegentia deprehenderimus Athenaeum, nonne veri est simillimum, etiam ea quae de ceteris organis narrat ex uno eodemque omnia libro transscripta esse? Et hanc certe veram esse opinionem ex eo quem inter Athenaeum Pollucemque intercedere demonstravi consensu concludere licebit; qui non dubito quin multo minus insignis foret si ex diversis libris sua composuisset Athenaeus. Hydraulum autem gingrumque et nablam cui debeat auctori pro more suo non indicat Athenaeus; contra trigonum, lyrophoenicem, sambucam, barbiton *a Juba in quarto* θεατρικῆς ἱστορίας *libro* commemorari dicit p. 175 D/E [1])

Cap. 78 extemplo a percussionalibus quas haud incommode vocat Ricardus Volkmannus, organis ad inflatilia transsilit vel resilit potius Athenaeus. Et quae de monaulo et plagiaulo referat, ea quoque *Jubae* se debere ingenue

---

terfuisset“ id nemo hodie non explodet. Scimus, revera illis temporibus putidos sophistas inter pocula de doctis rixatos esse quaestiunculis (cf. *Lehrsius* Aristarch. ed. II. p. 210 sqq), sed quin eiusmodi libri quales sunt Athenaei Deipnosophistae, Plutarchi Symposiaca, Gellii Noctes eam qua florent doctrinae ubertatem si non omnem at paene omnem ipsis tantum debeant auctoribus, nemini hodie dubium erit. Et Plutarchus quidem Gelliusque cum ipsorum sermonum indolem cursumque satis in universum fideliter repraesentasse videantur, Athenaeum in aperto est, aut totos sermones de suo finxisse, aut veros sermones ita immutasse, ut commodum nancisceretur vinculum quo variorum multijugis eruditionis florum satis laxam necteret coronam.

1) His et similibus quibusdam locis, quibus sane de organorum musicorum inventoribus data occasione disseruisse Jubam apparet, si *D. Volkmannus* in acutis de Suidae biographicis quaestionibus (p. 20 n. 1) inductus est, ut Jubam quoque inter auctores περὶ εὑρημάτων numerandum esse diceret, falsus est. Sed habuit fortasse alias rationes, quas velim indicasset saltem.

fatetur; sed quae apposuit poetarum scriptorumque testimonia ea haud dubie ipse adjecisse videri vult; ego tamen quovis contendam pignore, haec eum non tantum ex veteris alicuius grammatici libris transscipsisse, sed ex ipsis illis quibus monauli omnino debet notitiam, *Jubae* nimirum, Mauretaniae regis, historia theatrali. — Possit aliquis revera plures Athenaeum consuluisse grammaticos hinc suspicari, quod quae de τιτυρίνῳ αὐλῷ leguntur p. 176 C, ea paullum immutata redeunt p. 182 D. Sed, crede mihi, haec disjecta tantum membra sunt unius corporis. Logicae enim rationi haec unice convenit in concludendo via: „καλάμινον αὐλόν a Doribus Italicis τιτύρινον vocari testatur Artemidorus (182 D); neque pugnat cum hoc testimonio quod τιτύρινον αὐλόν alterum μοναύλȣ nomen esse affirmavit Amerias (176 C): nam μόναυλον eundem esse atque καλαμαύλην Hedyli versus (176 C/D) demonstrant.“ Noli dubitare, quin haec fuerit unius illius quem Athenaeus describendo misere discerpsit auctoris ratiocionatio. Hanc autem fideliter servavit *Hesychius*: τιτύρινος· μόναυλος· ἢ αὐλὸς καλάμινος. *Pamphilum* fuisse hac in re communem Athenaei et Diogeniani fontem *Rankius* de Hes. p. 103, ut par est, suspicatur; qua id injuria faciat supra exposui. Hoc tamen mathematica fere dixerim fide ex Hesychii illa glossa concludere licebit, *conjuncta* olim fuisse Ameriae Artemidori Hedyli testimonia in *uno auctore*, a Diogeniano (vel illius fonte) pariter atque ab Athenaeo usurpato. Nam *Athenaei* quidem libris usum esse Hesychium nemo facile erit qui contendat. Communes autem his in rebus cum Athenaeo Diogenianum auctores secutum esse, sed aliquanto cautius et accuratius secutum, nullo clarius apparet exemplo quam illo de σκωπί et σκοπῷ saltationibus, quode supra disputavi. —

Caput igitur 78 totum, me si audies, *Jubae* debetur. Capita autem 79 et 80 quis eidem *Jubae* tribuere dubitabit? Unum hic transscripsisse librum cur censeam Athe-

naeum supra monui; *Jubam* illius fuisse in proxime praecedentibus capitibus ducem satis mihi videor demonstrasse; jam qui singulas in capitibus 79. et 80. videat fieri *Jubae* commemorationes, quid, quaeso, habebit, cur tota illa capita ex Jubae libris translata esse neget? — In capite 81 bis laudatur Juba; totum illi caput tribuere nullus dubito. Et quis paullo in his rebus versatior, quin vere *pleraque omnia quae in libro quarto de organis musicis disputat Athenaeus ad unum Jubam referantur* dubitabit? cum praesertim σκινδαψόν, de quo, auctoris nomine tacito, p. 183 A/B disserit Athenaeus, in *Jubae* ἱστορίᾳ θεατρικῇ descriptum fuisse, ex Didymo discamus, cuius apud Hesychium s. βλίτυρι (I 382, 61 Schm.) Etym. M. 201, 3 et in append. prov. I 56 p. 387 Gott. extat de hac re animadversio. Caput denique 82. qui etiamnunc ex Juba transscriptum esse negaverit, eum, plaudentibus ut spero peritis judicibus, cum ea probabilitatis specie qua possumus in his rebus contenti esse tum ea re erroris convincam, quod τρίγωνον ὄργανον a *Juba* descriptum esse ipse Athenaeus 175 D dixerit, cuius descriptionis cum illo loco partem tantum protulerit, in capite 82. quin enarrationis illic incohatae reliquam partem eidem debeat auctori non potest dubium esse.

Totam rem si spectas, vix possis in his fontium eruendorum studiis majorem facile consequi veri speciem, quam qua Jubae de theatrali historia libro quarto quaecunque inde a c. 75 usque ad c. 82 disputat Athenaeus deberi licet pronuntiare. Quid igitur? *Pollucem quoque suas de organis musicis disputationes ex Juba transscripsisse putaverim.* Hoc autem ita esse facilius etiam concedet, qui quanta auctoritate apud recentiores et Graecos et Romanos fructus sit Varro ille Mauretanus reputaverit, quantoque studio non Athenaeus modo sed etiam Plinius,[1]) Plutarchus, Aelianus

1) Qui hoc aget, *Plinium* plurima Jubae debere facile poterit demonstrare, in auxilium vocata Brunnii illa de auctorum indicibus Plinianis observatione. Nunc unum moneo, ex Juba fluxisse libri VIII

(v. *Hullemann* de Jubae vita et scr. p. 32), Sopater illius libros, rerum copiis commode coacervatarum affluentes, expilare certaverint. Hinc enim apparet, inter promptissima et commodissima polyhistoriae subsidia Jubae libros fuisse; ut Pollucem quoque hunc adiise fontem minime sit a probabilitate alienum. —

Hic igitur si pedem figere licebit, multo facilius poterimus judicare de *saltationum* nominibus in Athenaei quarto decimo libro enarratis. Incohaverat Athenaeus inde a cap. 19 amplam de harmoniis musicis commentationem ex *Heraclide Pontico* transscriptam. Huic excerptum ex *Polybio* locum subjungit cap. 22. Quae deinceps secuntur capita 23. 24. 25 tota sunt in veteris musicae indole virili et ad omnes virtutes animum instigante praedicanda. Quin haec omnia ex uno libro transscripta sint nequit dubitari, sed cuius ille fuerit incertum est. Nam qui laudantur p. 627 D/E et 628 A *Theopompus* et *Philochorus,* eis apparet, praeter ipsos illos locos, in hac commentatione nihil deberi posse; sed ne eo quidem valent haec testimonia, ut inde de

---

caput 19 totum, cum paragraphum 51, quae cum reliquis arte cohaeret, ex Jubae Libycis transscriptam esse appareat collato Aeliano nat. anim. VII 23. Ceterum ex illo Aeliani loco nescio an forte colligere liceat, *post annum nostri aevi sextum,* nempe post Gaetulorum tumultus oppressos (cf. Cass. Dion. LV 28) scriptum esse illud Jubae de Libya opus. — Plinium porro qui cum *Strabone* accurate comparaverit, etiam hunc virum doctissimum plurima Jubae debere cognoscet, quae ad aequalem scilicet aemulumque noluerit nominatim revocare. Veluti cf. Strab. p. 150. Cas. vol. I p. 203, 26 ss. Mein. cum Plin. VI 203; Str. XVII p. 826 (III p. 1153, 5 Mein.) cum Plin. V 51; Jubae nomen utroque loco pressit Strabo. In Libyae praecipue descriptione plurima a Juba illum mutuatum esse persuasum habeo; veluti ea quam XVII 3, 5 p. 827 narrat fabellam, vix potuit aliunde quam ex Jubae, Bogudis successoris, Libycis hauriri. — Jubae fragmenta satis curiose collegit *Car. Muellerus* hist. gr. fr. III 481; quibus praeterea usus sum *Hullemanni* (Ultraj. 1845.) *Plaggii* (Monast. 1849) *Goerlitii* (Vratisl. 1849) de Juba commentationibus, earum meum in usum, ut credere par est, nulla quicquam contulit. *Goerlitium* audio anno h. s. LXII. de Jubae scriptis alteram commentatiunculam edidisse; quam mihi non ad manum fuisse aegre fero.

ipsius cui reliqua omnia Athenaeus subfuratus sit auctoris aetate conjectura fieri possit. Nam Philochori locus quique illi adnexi sunt Archilochi Epicharmique versus tam inepte sermonis cursum interrumpunt, ut ab ipso demum Athenaeo inculcata esse appareat; de Theopompo idem pronuntiare non dubito, cum Theopompi libris sciam in toto opere diligentissime, etiam quo minus convenirent, usum esse Athenaeum. Difficilius est de *Chamaeleonte*, p. 628 E commemorato, judicium et in praesens ampliandum. Namque ut breviter dicam quod sentio, totus hic locus *cento* est *Aristoxeneus,* ex variis gravissimi auctoris laciniis consarcinatus. Primum nemo non intellegit, quam tota sit Aristoxenea universi loci indoles, totumque consilium, in severa arte laudibus efferenda, novellae mollitie acerbe castiganda consummatum. Deinde insunt sententiae quaedam perquam singulares, quas aut scimus aliunde, aut non sine veri specie demonstrare poterimus Aristoxeni proprias esse. Veluti ad bellicam virtutem excitandam musica uti narrat Athenaeus p. 627 D Lacedaemonios, Cretenses, Lydios; idem de Lacedaemoniis Cretensibusque refert Plutarchus de mus. 26, quem *Aristoxeno* sua debere *Westphalus* demonstravit.[1]) Eodem atque Athenaeus libro is quoque usus est quem in libri primi capite undecimo compilavit *Gellius;* nisi forte casu evenisse dicas, quod Lacedaemoniorum Cretensium Lydorum mentionem eodem ordine fecit uterque in eadem re narranda.[2]) Praeter Lydios etiam Cretenses omisit Dio Chrysostomus or, XXXII 60 p. 436 Emper., eodem ceteroquin auctore usus. — Homerum dicit Athenaeus p. 627 E

1) Quo jure ex *Polybio* IV 20 (p. 319, 11 Bekk.) haec exscripsisse Athenaeum dixerit *R. Volkmannus* ad Plutarch. de mus. p. 115, ipse videat. Ceterum *Ephoro* sua debet Polybius, item ut Strabo X 4, 20 p. 483 Cas.

2) Athenaeus etiam altero loco eoque maxime inconvenienti Aristoxeni meminit narrationis, XII 517 A. — Ceterum cf. etiam exc. cod. Paris (reg.) 27200. fol. 87 v. ap. *Cramerum,* anecd. Paris. I 58.

in epulis musica utentes facere heroës tanquam *medicina*, ὕβριν et ἀκοσμίαν depellente, mores mitigante; *Aristoxeni* esse hanc quoque sententiam ex Plutarcho mus. 43 discimus; de animae διὰ τῆς μουσικῆς καθάρσει pluribus, ut videtur, locis Aristoxenus disputaverat; cf. Cramer anecd. Paris. I 172 (Aristox. fr. 24 Mueller. [hist. gr. II 280]); Apollon. hist. mir. 49. (Ar. fr. 76). Sed magis etiam memorabile, quod de musicae θεραπείᾳ, in συνουσίαις maxime utili, simillima atque Athenaeus Plutarchusque profert Dio Chrysost. in eadem quam modo laudavi oratione XXXII, § 57. 58. p. 435. — Ex Aristoxeno ea quoque sumpsisse Plutarchum, quae ibid. c. 43 de musica non πρὸς τέρψιν μόνον ad convivia a veteribus arcessita disputat, nemo non concedet: redit eadem plane sententia apud Athenaeum p. 628 B. — Denique quod Lacedaemonios dicit Athenaeus p. 628 B ter musicam corruptam ad veterem sobrietatem reduxisse, id et in universum apprime convenit in Aristoxeni os, quem Lacedaemoniis veteris musicae tenacibus (Ath. XIV 632 F) favisse consentaneum est, et esse Aristoxeni alia quadam argumentatione evinci potest. Quas enim vidimus apud Athenaeum Plutarchumque et Dionem redire easdem sententias, eae uni debentur scriptori ab his omnibus compilato, cum certissimum sit, non ex altero alterum eas transcripsisse. Plutarchum autem *Aristoxeni* συμμίκτοις συμποτικοῖς usum esse scimus; quid igitur eundem auctorem Athenaeum Dionemque inspexisse dubitamus affirmare? Jam quae de musica ter a Lacedaemoniis restituta narrat Athenaeus, ea respiciunt apertissime — quicquid contradicat *Volkmannus* ad Plut. de mus. p. 80 — ad illas de citharae fidibus Terpandro, Phrynidi, Timotheo ab ephoris excisis fabellas. Hae vero fabellae a *Plutarcho* (inst. Lac. 17, apopth. Lac. p. 220 C [I 2 p. 879. Wytt.] de prof. in virt. 13 p. 84 A. Agid. 10) narrantur et *Dione Chrysostomo* (or. XXIII 57 p. 470 Emp. Cf. Athen. XIV 636 E.), quos scimus alibi usos esse Aristoxeni libris; et est sane

perquam credibile, libenter eas propagasse Aristoxenum. Denique accedit, quod ipsa illa de fidibus excisis fabella etiam in XXXII. Dionis oratione legitur (§ 67 p. 439), qua in oratione Aristoxeni illum pennis ornatum incedere intellectum est.[1]) Nonne haec satis firma videbuntur argumenta, quae ab *Aristoxeno* memoriae traditam fuisse illam narrationen persuadeant, et capitis XXIV. non initium modo sed mediam etiam et extremam partem ex Aristoxeno sumpsisse Athenaeum evincant? Capita 23. quidem et 25. nihil habeo quo firmiter demonstrem ex Aristoxeno transcripta esse; sed cum haec capita cum XXIV. artissime cohaereant, ei potius probandi officium incumbere contendo, qui alius haec quam illud auctoris esse affirmet. — Capitis 26. initium ne ipse quidem audeo Aristoxeno tribuere; contra quae medio capite de priscae artis statuariae cum orchestica communione narrantur, et dignissima sunt Aristoxeno neque umbraticam olent Alexandrinorum doctrinam. — Tum sic pergit Athenaeus: καὶ γὰρ ἐν τῇ μȣσικῇ κἀν τῇ τῶν σωμάτων ἐπιμελείᾳ πεɜριεποιȣ̃ντο τὴν ἀνδρείαν, καὶ πρὸς τῆν ἐν τοῖς ὅπλοις κίνησιν ἐγυμνάζοντο μετὰ τῆς ᾠδῆς· ὅθεν ἐκινήθησαν αἱ καλȣ́μεναι πυῤῥίχαι καὶ πᾶς ὁ τοιοῦτος τρόπος καὶ αἱ πολλαὶ παρονομασίαι αὐτῶν κτλ. Jam vero tanquam de caelo in terram deicimur. Nam dum de militaribus *virtutemque* exercentibus saltandi generibus amplius disputatum iri expectamus, repente mentio fit — ἀποκίνȣ, quam *voluptariam* scimus et plebejam fuisse saltandi speciem. Est hic in neglegenti compilatione Athenaei mos, qui saepius jam risum mihi movit, ut a materie aliqua subito ad aliam transsiliat, toto quod ajunt caelo ab illa separatam, et ita quidem, quasi illo ad quem nunc transgreditur loco propior magisque vicinus nullus cogitari possit. Potest eiusmodi hiatus id demonstrare quod supra vidimus in organis musicis enumerandis factum esse, nempe

---

1) Aristoxenum ea quoque sapiunt quae contra novam artem monet Dio XXXII 61 p. 437.

pergere Athenaeum in exscribendo aliquo scriptore ultra etiam quam is de ea re disseruerit quam ipse Athenaeus modo tractaverat. Sed saepius etiam argumento potest esse haec oscitantia, jam desinere illius quem antea compilaverat libri fragmentum, novumque incipere alius auctoris locum. Itaque hic quoque cum pyrrhichae Athenaeus videret mentionem fieri, in mentem venisse videtur, aliarum quoque saltationum nomina ex alio auctore se excerpta habere: quae statim adsuit, pannos diversicolores juxta collocatos parum curans. Incipit igitur a p. 629 C. excerptum ex *onomastico* sive eiusmodi aliquo libro qui saltationum varia genera onomastici ad modum recenseret.

Jam vero quae cap. 27 exhibet Athenaeus saltationum nomina, ea ex duobus duntaxat libris exscripsit. Nam et bis nonnulla enumerantur genera, veluti ἀπόκινος, μακτρισμός, πυῤῥίχη, τελεσιάς, θερμαυστρίς, et, ab una thermaustride si recedas, de his omnibus altero loco diversa narrantur ab eis quae antea dicta erant. De ἀποκίνῳ et τελεσίαδι supra dixi (p. 29); pyrrhicha quae antea inter severas dignasque saltandi species numerabatur, *ridiculis* saltationibus accensetur p. 629 F. Videtur autem Athenaeus non accurate interse separasse duo illa quae expilavit onomastica, sed confudisse utriusque doctrinam: ut ubi desinat prius, incipiat alterum, non liceat ad amussim definire. In universum tamen quae *secundo* posita sunt loco cum *Polluce* magis conveniunt; separatur illic ἀπόκινος et μακτρισμός; quae de ἰωνικῷ dicta sunt aperte ex illo quo Pollux quoque usus sit fonte hausta esse supra (p. 30) demonstravi. Hanc ultimam igitur partem ex *Juba* compilatam esse puto.

In hac probabilitatis specie satis tenui subsistudume foret, nisi felici casu factum esset, ut, misso etiam Athenaeo, quo usus sit in saltationibus enarrandis auctore Pollux satis distincte cognoscere possemus. Nam cum *Jubae* deberi quae Pollux narrat de organis musicis supra satis mihi videar demonstrasse, levibus tantum opus erit indiciis, ut

hac quoque in parte eundem ille ducem secutus esse creditur. Narrat Pollux § 100: ὄκλασμα· οὕτω[1]) ἐν Θεσμοφοριαζούσαις ὀνομάζεται τὸ ὄρχημα τὸ Περσικὸν καὶ σύντονον. Jam confer schol. Arist. Thesm. 1175: βαρβαρικὸν καὶ Περσικὸν ὄρχημα ὄκλασμα καλεῖται, περὶ οὗ Ἰόβας μακρὸν πεποίηται λόγον ἐν τοῖς περὶ τῆς θεατρικῆς ἱστορίας· ὥστε λελύσθαι τὴν Σελεύκου πρότασιν· προτείνει γὰρ ἐν τῷ πρὸς Ζήνωνα προτατικῷ[2]) τὸ Περσικὸν ὄρχημα. Ultima adscripsi ut *propriam* fuisse Jubae illam de oclasmate doctrinam intellegatur, atque ut Pollucis hac in re cum illo consensus ne fortuitus putetur.

Quarto autem in libro ut de organis musicis ita de saltationibus quoque egisse Jubam haec docet Hesychii glossa: κλώπεια· ὄρχησίς τις ὡς Ἰόβας ἐν τετάρτῳ θεατρικῶν. Hoc tamen ipsum κλωπείας nomen in Pollucis enumeratione desideratur. Contra meam hoc sententiam valere negaverim; nam cum *septemdecim* minimum libros complexum esse Jubae opus sciamus — XVII[um] enim librum in undecimo Ἐκλογῶν διαφόρων libro compilavit Sopater teste Photio bibl. CLXI p. 104b 37 Bk. — quot nomina putas omissa esse in brevissima epitoma qualem Pollux instituit? Sed ne opus quidem est ut huc confugiamus, nam *nomen* tantum κλωπείας omissum credo, non ipsam saltandi speciem. Aut enim egregie fallor aut latet haec κλώπεια saltatio sub illa specie quam μιμητικήν vocat Pollux § 105. Nam κλώπεια qualis potest fuisse species nisi talis in qua *furtum* aliquod mimice fuerit repraesentatum? Μιμητικήν vero eam dicit Pollux appellatam fuisse δι' ἧς ἐμιμοῦντο τοὺς ἐπὶ τῇ κλοπῇ τῶν ἑώλων κρεῶν ἁλισκομένους. Aut igitur duo nomina habebat hoc genus, quorum alterum selegit Pollux, Diogenianus alterum, aut minus accurate nomen indicavit Pollux. Quorum hoc

1) Τοῦτο *Meursius* de orch. p. 1275 (Gronov. thes. VIII) et *Krausius* Gymn. u. Agon. II 820, 7; vix recte. Malim: „οὕτω γὰρ τὸ ἐν Θ. ὀνομάζεται ὄρχημα τὸ Π."; τὸ illo transposito.

2) Cf. *Lehrs.* Aristarchi p. 222 sq. ed. II.

credere malim. Nam μιμητικήν cur hanc potissimum appellatam credamus pantomimicae saltationis speciem, cum eodem nomine et κερνοφόρον et μορφασμόν et σκῶπα et multa alia genera significari par esset? [1])

Concedo, paullo minus firmam esse quam in instrumentis musicis argumentationem: sed cum *contra* Jubam quod valeat nihil omnino sit, pro eo faciant quae de oclasmate refert Pollux, mihi quidem satis firma haec videntur argumenta, quibus *non abjecisse* librum utilissimum atque in organis musicis jam a semet usurpatum Pollucem credibile fiat: nam nihil ultra demonstrandum est. —

Prius quam ab Athenaeo porsus discedamus, de eis quae capitibus 28—30 disputat pauca sunt dicenda. Hausta haec sunt ex *Aristoxeno* qui quater citatur quemque de eadem quae illic tractatur re accurate disseruisse aliunde scimus.[2]) Sed Athenaeum quominus ex ipso illa Aristoxeno transscripsisse credam, *Aristoclis* facit mentio p. 630 B injecta. Qui vir cum quando vixerit incertum sit, — Apollodori Atheniensis aequalem fuisse speciosa est *Meinekii* conjectura, anal. crit. Ath. p. 309. [3]) — diu tamen haud

---

1) Idem in *Ad. Schoellii* conjecturam cadere videtur ceteroquin speciosissimam, in libro de orig. graec. dram. (quem mihi non licuit inspicere), p. 97 prolatam: μιμηλικήν; quamquam illi adsentitur *O. Muellerus* Dor. II 335 sq. adn. ed. alt., rejecta ea quam ipse in priore editione proposuerat conjectura: δεικηλιστικήν, sane perquam improbabili.

2) Cf. Etym. M. 712, 54. Orus in Antiattic. 101, 16. Ael. Dionys. ap. Eustath. 1167. 19. Phot. II 155 Nab. V. *Schneiderus* att. Theaterwesen p. 226. 27.

3) Qui tamen verbo monere debebat, IV 174 D/E in Euergetae II locum substituendum esse Euergeten I; nam qui Apollodori circa annum 140 florentis (cf. *A. Schaefer*. Grundr. d. Quellenk. cet. p. 104.) aequalis erat non poterat tanquam diu mortui meminisse Euergetae II, a. 117 ex vita cedentis. Sed Euergeten *primum* illi loco reddendum esse dudum intellectum est: v. *Ric. Volkmann*. ad Plut. de mus. p. 150. — Ceterum varios Aristocles enumerarunt *C. Muellerus* hist. gr. IV 329 et *M. Schmidtius* Didym. p. 25 sq.

dubie post Aristoxeni aetatem floruit. Jam cum illius libris plurima eorum quae ex Aristoxeno affert debere Athenaeum demonstret locus IV 174 C., et hoc quoque loco, item ut XIV 620 E, 621 B/C I 22 A—B statim post Aristoclem commemoretur Aristoxenus, noli dubitare quin quae et vicesimo octavo capite et duobus proximis ex Aristoxeno referuntur, Aristocle tantum intercedente cognita habuerit Athenaeus. Ceterum cum in illis quaedam narrentur a Pollucis placitis aperte diversa, alia quae apud Pollucem frustra quaeras, Aristoclis hinc concludo opus non usurpatum esse a Juba, Pollucis auctore. Etiam eorum quae de rhapsodis homeristis hilarodis magodis cet. ex *Aristocle* narrat Athenaeus XIV 620 B — 621 D [1]) nihil omnino legitur apud nostrum. Ceterum, cum Aristoclis nomen in his capitibus subdole silentio premat Athenaeus, non ipsum tamen ei Aristoxenum ad manum fuisse vel inde facile conclusurus sit qui eius mores norit, quod Aristoxeni illi quod p. 631 D laudat operi, συγκρίσεις inscripto, nusquam alibi testimonium denuntiat.

Capite 30 extremo ad novum librum exscribendum se transilire ipse aperte significat; mihi autem, ut suspicionem quamvis fortasse audaculam non reticeam, nihil aliud

1) Quaecunque narrantur l. XIV c. 12 13 14 15, ea omnia ex Aristoclis opere περὶ χορῶν hausta esse suspicor. Id vero non suspicor, sed confidenter affirmo eidem illi Aristocli perperam librum quendam περὶ μουσικῆς tribui ap. Ath. p. 620 C; illo enim loco aut librarii aut ipsius, quod magis credibile, Athenaei manifesto *errore* factum est, ut „ἐν τῷ περὶ μουσικῆς“ illud non *Aristoxeni*, sed proxime praecedentis Aristoclis nomini adscriptum legatur. Aristoxeni insigne novimus περὶ μουσικῆς opus; Aristoclem nec scimus aliunde eiusmodi librum composuisse, nec si sciremus crederemus, alio opere de rhapsodis et hilarodis disputasse, alio de magodis. — Ceterum *Juba* ea quoque in re discrepat ab Aristocle quod τρίγωνον a *Syris* ille inventum dicit ap. Ath. IV 175 D, hic eiusdem instrumenti inventionem Tyrrheno *Lydo* tribuit, in Bekkeri anecd. 451, 31 sqq. ubi in Aristotelis locum jure Aristoclem substituit *C. Muellerus* hist. gr. fr. II 182. IV 432.

qaum pegerre videtur in eo opere compilando quod versus capitis 26. finem deposuerat. Nam non casu factum esse existimo, quod sine ullo hiatu caput 31. eis adnecti potest quae illic de virtute a veteribus etiam in musica exercita disputata erant. Jam vero illic centonem quendam *Aristoxeneum* consuisse Athenaeum animadvertimus, huius autem ipsius capitis 31. partem extremam ex *Aristoxeni* συμμίκτοις συμποτικοῖς transscriptam esse ipse Athenaeus fatetur: nonne igitur concedes, reliquum etiam caput ex Aristoxeno esse compilatum? Nec quicquam in toto capite inest, quod nequeat ab Aristoxeno dictum esse; immo cuius melius moribus congruunt veteris musicae laudes, vulgi contemptus, theatricae musae vituperatio? De Antigenida quem magis decebat confidenter aliquid edicere, quam Aristoxenum, quem diligentissime illius coluisse memoriam Tatianus adv. Gr. p. 86 testatur? Denique cum his Athenaei verbis (p. 138, 6 Mein.): νῦν δὲ εἰκῇ καὶ ἀλόγως ἅπτονται τῆς μουσικῆς compara, sis, Plutarchi verba, ex *Aristoxeno* transscripta, de mus. 31. p. 38, 11 Volkm. οἱ πολλοὶ εἰκῇ μανθάνουσιν ὃ ἂν τῷ διδάσκοντι ἢ τῷ μανθάνοντι ἀρέσῃ.

Aristoxeno igitur non dubito accepta referre et capita 23 24 25 partemque capitis 26, et vero etiam totum caput 31. Sed unam sentio restare difficultatem. Quamvis enim minime equidem ignorem, saepissime ab Athenaeo eorum quos exscripserit auctorum minus nobilium nomina reticeri, vix tamen adducar ut credam, in tribus illum capitibus tam clari vetustique qualis Aristoxenus fuit scriptoris nomen ne semel quidem commemoraturum fuisse, si ipse illius libros tractasset. Recentiorum enim hominum nomina ideo potissimum solet silentio premere, ut vetustos quibus illi testimonia denuntiaverant auctores ipse evolvisse videatur; prisca igitur volumina ubi ipse versavit ibi plane abhorret a probabilitate tacendis eum gravissimorum auctorum nominibus ipsum se antiquarum lectionum laude privasse. Quare videndum, an forte fragmina illa Aristoxenea ex alio

scriptore sublegerit, qui Aristoxeni vixerit impensis, sed non ubique cui sua debeat lectorem monuerit. Jam vero talem auctorem circumspicienti unus offertur *Chamaeleon* p. 628 E laudatus ab Athenaeo, tamque rei convenienter laudatus, ut veri sit dissimillimum, hunc unum eius locum ceteris interspersum esse ab Athenaeo; quippe quem exploratum sit, alienissimo plerumque loco suorum meminisse collectaneorum. Chamaeleontem autem de ipso veterum Graecorum circa artem musicam studio disputasse in Προτρεπτικῷ, Athenaeus docet IV 184 D, magisque etiam notabile, quod de musicae ad animi commotiones sedandas vi simillime atque Aristoxenus disputasse narratur ab Athenaeo XIV 623 F. Quam haec cognata sint illis quae de musicae in epulis vi medica profert Athenaeus, inde clarissime apparet, quod *conjunctas* exhibet utramque sententiam Dio Chrysost. XXXII 57. Quid igitur? Chamaeleontem Aristoxeni scrinia compilasse dicamus? Scio sane audacissimum hoc quibusdam visum iri, sed quomodo aliter expediri possit haec ἀπορία non intellego; si quidem id certissimum est, ipsas sententias Aristoxeni proprias esse fere omnes. Ceterum nequis inertium grammaticornm pigritiam in Peripateticorum me aetatem transferre clamet, reputet velim, hac ipsa aetate Heraclidi Pontico ab ipso Chamaeleonte exprobratum esse furtum litteratum (cf. Laert. Diog. V 92); quidni igitur Aristoxeni quibusdam sententiis pro re nata usum esse Chamaeleontem conici liceat? —

In capitibus 32. et 33. quaecunque de veteris musicae praestantia, novae pravitate proferuntur — c. 32. p. 632 B. C. c. 33 p. 632 F — 633 A. (ἀκροωμένυς) 636 B (συνέβαινε κτλ.) — E. (τὴν πάτριον μυσικὴν) —, fortasse item Aristoxeno debentur. Nihil enim in his inest quod contra hanc opinionem valeat; contra decet Aristoxenum, Pythagorae βιογράφον, musicae Pythagoricae laus p. 632 B/C, quae redit insuper in ultimo Plutarchei de musica libelli capite. Et quae de prisca musica restauranda jactat Athe-

naeus p. 633 E, ea ridicula sunt, si de ipsa Athenaei aetate intellegantur, sed egregie conveniunt in Aristoxeni os, qui de corrupta arte lamentari non satis habebat, sed θηλυνομένην ἤδη τὴν μυσικὴν ἐπειρᾶτο ἀναῤῥωννύναι, teste Themistio orat. XXXIII p. 364 Hard.: Athenaeus igitur illa ex Aristoxeneo tempore in suum secure transtulit; quam esse frequentissimam compilatorum neglegentiam nemo nescit (cf. *Ritschelius* opusc. I 617 [de Or. p. 33.], *Lentzius* Herodiani rel. I. p. CXLVI. *Nietzschius* mus. rhenan. XXIV 1869 p. 206.) — His reliquiis Aristoxeneis ipse Athenaeus alia quaedam videtur inseruisse; nempe eam quam p. 632 D proponit de versibus acephalis lagaris miuris (sive myuros rectius dicas; v. *Meinekius* anal. cr. in Ath. p. 304) observationem, Aristoxeneo aevo multo procul dubio recentiorem [1]), et Demetrii Byzantii commemorationem (p. 633 A/B) narratiunculamque ex Dinonis Persicis excerptam (p. 633 D/E), totius sermonis tenori intempestive interpositas. —

Jam quae in capite 34, sermone subito mutato, de *sambuca* narrantur, *Jubae* deberi conicio, quem de hoc organo disputasse Athenaeus ipse IV 175 D significaverat; cf. Hesych. s. v. Ex eodem hausta esse quae de Troglodytis nescio cuius instrumenti inventoribus hic legantur ab Athenaeo perperam intellecta, supra monui (p. 27 sq.). Unde ea sumpserit Athenaeus quae in eodem capite de sambuca machina bellica docet ex Bitone (cf. nunc *Wescheri*

1) Quando excogitatae sint ab otioso aliquo grammatico illae si dis placet elegantiae versus heroici, nescio. Nondum innotuisse videntur scholiorum in Iliadem Venetorum A auctoribus; notae sunt cum Eustathio tum recentioribus scholiis Homericis (veluti Victor. ad M 208). Inter Romanos primus novisse videtur Caesius Bassus (cf. *Luc. Mueller* de re metr. p. 111.), inter Graecos notas fuisse apparet *Heliodoro*, quem eodem fere ac Bassum tempore vixisse persuasit mihi *Lipsius* annal. phil. LXXXI 609 sq. Nam quam Heliodorus profert illius clausulae αἰόλον ὄφιν verissimam θεραπείαν (apud. schol. Hephaest. c. 11 p. 197 Gaisf. [ed. Lips. 1832]; cf. Eustath. ad M 208; quibus locis uti debebat *Guil. Roscherus* de aspir. vulg. ap Gr. p. 60), ea jam ante Heliodorum fuisse demonstrat, qui de ἐνδείᾳ cogitarent.

Πολιορκητικά p. 57—61.), Andrea Panormitano, Moscho, ignoro. Porro quae in capite 35 de magadide proferuntur, eis aperte adversantur quae in capite insequenti de eodem instrumento docet Athenaeus. Jam vero caput 36 ipse ex *Didymi* quodam opere hausta esse indicat: πρὸς Ἴωνα ἀντεξηγήσεις vocant codices. Sed „Πρὸς Ἰόβαν ἀντεξηγήσεις" ab ipso auctore illum librum appellatum fuisse speciosissima est *M. Schmidtii* (Didym. p. 303. 4) conjectura, quae poterit insuper non mediocriter fulciri hac quam proponam argumentatione. Nam quae de magadide ex illo Didymi opere profert Athenaeus, pugnare monui contra ea quae de eodem organo in c. 35 leguntur. Quae si poterimus demonstrare *Jubae* esse, tantum non certa erit Schmidtii conjectura. Neque id nimis difficile. Nam quae Athenaeus p. 634 D. E. adscripsit *Tryphonis* verba, ea, tacito quidem auctoris nomine, redeunt IV 182 D. Jam cum totam illam libri quarti regionem *Jubae* restituerim, vix opus est alio ad id quod volumus probandum argumento. Sed ne hoc quidem deest. Laudantur p. 182 E et Juba et Trypho; utrumque illo loco Athenaeum inspexisse quis credet? immo mihi quidem non dubium est, quin, quae ex antiquiore scriptore profert recentiori debeat; qui est *Juba*. Hinc igitur consectarium est illa de magadide Tryphonis verba ex *Juba* sublegisse Athenaeum: porro consectarium, quae praeter Tryphonis verba in capite 35. leguntur *Jubae* esse, denique consectarium, *Jubam* esse contra quem in ἀντεξηγήσεσιν pugnabat Didymus. — Ceterum non negaverat Juba inter citharae genera numerandam esse magadin, sed Tryphonem Aristarchumque secutus *etiam* tibiae quoddam genus hoc nomine insignitum fuisse affirmaverat. Didymus contra tibiae ullam speciem unquam hoc nomine significatam esse strenue negabat. Hoc ita esse docent illa verba quae Jubae esse modo demonstravi IV 182 E et XIV 35. Itaque hac quoque in re a Juba non discedit Pollux, qui §. 61 Tryphonis opinionem, a Juba haud dubie cum dubitationis significatione

prolatam, prorsus omisit: qualia in *Didymo* decurtando saepissime commisisse *Diogenianum* multis exemplis compertum est. Ceterum quo usque pertineant libri illius Didymei excerpta ab Athenaeo fragmenta, admodum dubium est. In voce ὑπερτελείως p. 634 F ea desinere *M. Schmidtii* (Did. p. 304) est opinio, argumento stabilita infirmissimo, quod nunc refutare longum est. Ego non habeo, cur ante capitis 37 finem illius operis terminum ponendum dicam. Hinc vero mira accidit res. Repetuntur in c. 37 Didymi et argumenta et quos ille auxilio vocavit loci ex Anacreonte, Pindaro, Aristoxeno, Menaechmo, Euphorione collecti. Aut igitur dormitavit Athenaeus et quae modo dixerat somniando repetivit, aut, id quod malim credere, oscitanter, pro more suo, usus est libro aliquo in quo de instrumentis musicis ita agebatur, ut Didymi ἀντεξηγήσεις, ubi res ferebat, tantum non verbo tenus transscriberentur.

Huic eidem compilatori tribuerim quae c. 39. de crotalorum quibusdam generibus narrantur; quippe quae nihil ad rem ab Athenaeo susceptam pertineant et ideo tantum adjecta esse videantur, quia in eodem ex quo cetera hausta erant libro legebantur: id quod illis hominibus veterum divitias stupide corradentibus saepe accidisse nemo nescit. In hac parte laudatur *Didymus*, sed is locus ad quem compilator noster respicit non in ἀντεξηγήσεσιν sed in commentario Aristophaneo exstitisse videtur: v. schol. Ar. Ran. 1305 p. 309 b. Duebn. Unde sequitur, neque ex ipsius Didymi ἀντεξηγήσεσιν hausta esse quae praecedunt, et Didymi commentariis in Aristophanem usum esse illum grammaticum, quem eiusdem quoque ἀντεξηγήσεις suum in usum convertisse vidimus.

Capite 40 ex improviso de *magadide* denuo quaedam docemur; alterum autem illud quod Athenaeus adhibuit opus cum dudum ad alias res transiisse intellexerimus, aut tertio haec debentur libro aut, quod malim credi,

frusta item sunt Didymei illius operis in quo describendo p. 635 C defecerat Athenaeus.

Jam inde a verbis οἶδα δὲ καί p. 637 A ad enumerationem aliquam transit a magadide plane alienam, quae aut ex alio fonte hausta est aut ex ipso illo, quem Didymi excerptis intermiscuisse Athenaeum conjeci, compilatore. Mihi hoc multo quam illud videtur veri similius[1]; id certe concedes, non esse haec ultima Didymi.

Non nimis igitur a veritate me aberraturum esse spero, si ita interse confusos esse conjecero duos Athenaei auctores:

p. 634 E — 635 C Didymi ἀντεξηγήσεις
635 C — 636 E: Auctor nescio quis de organis musicis disserens, Didymique et ἀντεξηγήσεσιν et commentario Aristophaneo usus.
636 E—637. Didymi ἀντεξηγήσεις.
637 A cet. Auctor de org. mus.

---

1) Quod ut credam argumento adducor haud infirmo. Leguntur enim in *Photii* lexico haec: ἰαμβύκη· ὄργανον μουσικόν· εἴρηται δ'ἐν ἑτέροις καὶ ὠνομάσθη ὥς φασιν ὅτι πρὸς αὐτὸ ἰάμβυς ᾖδον. ἡ δὲ σαμβύκη νεώτερον καὶ ὀψὲ ὑπο Σάμβυκός τινος εὑρέθη. „ἐν ἑτέροις;“ illud quid sibi velit juxta cum *Nabero* me nescire fateor; id video, *conjuncta* hic esse quae apud Athenaeum XIV 636 B et 637 B separata leguntur, ita ut ad *unum* illa librum pertinere apertun sit, auctorem nempe illum ex Didymo pendentem, quo Photius etiam s. v. φοῖνιξ (cf. Athen. XIV 637 B) usus est. — Ceterum aut Didymi opere aut ipsius quem ille (p. 635 B; cf. 635 E) laudat Menaechmi περὶ τεχνιτῶν libris usus esse videtur etiam is quem in *Sapphus* vita enarranda adhibuit *Suidas* (vel Hesychius potius Milesius), Dionysius, ut puto, Halicarnassensis. Nempe quae illic leguntur: καὶ πρώτη πλῆκτρον εὗρεν, ea mihi corrupta videntur. Plectrum enim jam novit auctor hymni Homer. in Apoll. Pyth. v. 7. Jam vero variae quas in illo hymno jure discernendas putat *Windischius* (de hymn. Homer. p. 17 sqq.) particulae ante bellum Cirrhaeum contextae sunt: cf. *Baumeister*. h. Hom. p. 117. 181 sq; si igitur vera testatur Suidas, intra paucorum illorum, qui inter Sapphus ἀκμήν et belli Cirrhaei finem interpositi sunt, annorum spatium coërcenda foret illius hymni confectio; id quod parum credibile est: quo accedit quod Sapphus illud inventum tam celeriter ab omnibus receptum esse a probabilitate abhorret. Denique quae pectidem χωρὶς πλήκτρυ tractandam invenisse dicitur, eandemne credemus plectrum primam usurpasse? Quid igitur? Suidae verba sic reformanda puto: καὶ πρώτη πηκτίδα εὗρεν.

Sed utut haec se habeant, potest hic locus hunc habere usum, quod luculento nos exemplo docet, quanta quamque incredibili oscitantia Athenaeus opus suum compilaverit: neque id mirabimur quod Pollux neque cum Didymo consentit neque cum altero illo scriptore Didymi scripta expilante; quippe quem *Jubam* sciamus secutum esse, qui cum Didymo prior scriberet, illius operibus uti neque poterat neque vero si potuisset voluisse censendus est.

At si Didymeae doctrinae Juba nihil recepit, Didymum contra multa ex illius historia theatrali suum in usum vertisse puto. *Contra* Jubam multa scripsisse narratur a Suida: sed erat is constans fere veterum illorum litteratorum mos, ut quae in priorum libris utilia eis viderentur tacite reciperent, ubi dissentirent magno id clamore profiterentur. Fecit hoc in Lycophrone impugnando Eratosthenes, fecisse videtur in Tryphone vituperando Herodianus; in Juba carpendo idem commisisse Didymum, laboriosum hominem, non ingeniosum Gruterique quam Scaligeri similiorem, maximopere probabile est. Atque laudasse adeo illius operam in nonnullis rebus videtur: unde nobis quoque aliquot restant Jubae fragmenta ex Didymi lexicis servata in commentariis Aristophaneis Hesychio ceterisque lexicis: nam quin illa omnia *Didymo* debeantur ne momentum quidem temporis dubitabunt harum rerum periti.[1]) Jam plura si videbimus inter Hesychium et Athenaeum Pollucemque maxime in rebus scaenicis convenire, poterunt haec meae opinioni non exiguum ferre auxilium. Artis apparatusque scaenici descriptionem longe plenissimam praebuisse Jubae, doctissimi maximeque industrii hominis, libros idoneis docemur exemplis. Jam cum semel haud pauca ex illo

1) Etiam Herodianum quae ex Jubae libris affert (v. Lentz. Herod. rel. I p. CLXXVI). a Didymo mutuatum esse puto: Didymi enim libris diligenter usum esse Herodianum certum est (cf. *Lentz.* p. CLXIV). Omnino nescio an non aliquanto plura quam Lentzio visum est prioribus grammaticis debeat Herodianus.

Didymum didicisse compertum sit, quid, oro, veri est similius, quam *hunc* potissimum fuisse fontem, ex quo quae de scaenicis rebus dicenda sibi erant hauserit Didymus? Atque revera ita rem se habere Hesychii cum Polluce et Athenaeo his in rebus comparatio docebit. Pollucem enim et Athenaeum cum potiora sua Jubae debere demonstravisse mihi videar, accuratus haud raro in rebus minus notis inter illos et Hesychium consensus quid aliud docet quam eodem illum quoque vel illius auctorem fonte usum esse? Contra cum *per se* satis probabile sit, plurima quae de rebus scaenicis docet Didymus ad Jubam esse referenda, exactus ille cum Athenaeo et Polluce consensus veram esse quam ego de Jubae opere ab illis usurpato concepi opinionem firmabit.[1])

Et plurimae quidem quae huc pertineant Hesychii glossae tam breves sunt, ut nihil magnopere nostram in rem inde lucremur: nisi id aliquantillum momenti habere concedes, quod ille pauca quaedam proponit nomina, quorum nos quidem qui praeter Pollucem mentionem faciat non habemus. Nominat igitur tantum et brevissime quae sit cuiusque notio indicat aut Hesychius aut Pollux — nam is quoque quorum nomina tantum apponit, etiamsi ea pluribus describantur ab Hesychio, ea ex communi cum Hesychio (vel Didymo potius) fonte hausisse non demonstrari potest —: χέλυς (cfr. Suid. s. v. E. Magn. 808, 19. Eustath. 1913, 37.), τρίγωνον, σαμβύκη, λυροφοῖνιξ, ἰαμβύκη, ἄσκαροι, νάβλα, ἔλυμος, γίγγρος, κιθαριστήριοι αὐλοί, μεσόκοποι (cf. Phot.), σκυτάλιον, Ἀθηνᾶ (cf. Et. M. 24, 53.), κῶμος, ἡδύκωμος, κνισμός, [κολαβρισμός Poll. cf. Hes. κολαβρίζειν· σκιρτᾶν]

1) Etiam ea quae de Libyum equos tibiae cantu mitigandi arte narrat *Aelianus* nat. an. XII 44, *Pollucis* de ἱπποφόρβῳ tibia narrationi IV 74 simillima, *Jubae* deberi credo; quanquam θεατρικῇ ἱστορίᾳ usus est Pollux, ex Λιβυκοῖς sua hausisse videtur Aelianus. Sed poterat quae in altero opere narraverat in altero, si res ferebat, repetere Juba; qui erat adeo mos doctis illius aetatis hominibus satis frequentatus.

βαυκισμός (cf. Et. M. 192, 17), στρόβιλος, ἐκλακτίσματα [1]), πινακίδες, καλαθίσκος, διπλῆ. Quorum nominum haec certe: ἄσκαροι, πινακίδες, ἐκλακτίσματα, διπλῆ nullus quantum scio praeter Hesychium Pollucemque grammaticus novit.

Sed extant exempla multo graviora, quibus dubitantibus quoque ex eodem Didymum et Pollucem fonte hausisse me persuasurum esse spero.

Phrygium ὄρχημα esse νηνίατον narrat Pollux § 79: item Hesychius s. νινήατον. [2])

Inter *tibias* numerant βόμβυκας et Pollux § 82 et Hesychius s. βόμβυκες et βόμβυξ. (cf. etiam Choerobosc. ad Theodos. fol. 65. in Bekkeri anecdotis III 1354, sive Herodian. καθολ. προσ. p. 44, 20 L.)

De τυρβασίᾳ haec refert Pollux § 104: τυρβασίαν δὲ ἐκάλυν τὸ ὄρχημα τὸ διθυραμβικόν; Hesychius haec habet: τυρβασία· χορῶν ἀγωγή τις διθυραμβική. [3])

„σχῆμα τραγικόν" vocant σιμὴν χεῖρα et Pollux § 105 et Hesychius.

De pyrrhicha narrat Pollux § 99: πυῤῥίχη τε καὶ τελεσιάς, ἐπώνυμοι δύο Κρητῶν ὀρχηστῶν, Πυῤῥίχυ τε καὶ Τελεσίυ. Jam confer Hesych. s. πυῤῥιχίζειν. — οἱ μὲν- vocem derivant — ἀπὸ Πυῤῥίχυ τῦ Κρητός· οἱ δὲ ἀπὸ τοῦ διάπυρον εἶναι· οἱ δὲ ἀπὸ Πύῤῥυ τῦ Ἀχιλλέως κτλ. [4]) Vides primam poni Pollucis sententiam; cur aliae adjectae sint statim intelleget, qui ubicunque fieri potuerit a Didymo impugnatas fuisse Jubae opiniones meminerit. Maxime vero memorabile est, quod inter varia illa veriloquia non comparet illud quod Aristoxeno viam praeeunte sequitur Athenaeus XIV 630 E, a *Lacone* aliquo Pyrrhicho nomen derivans.

---

1) cf. *Krausius* Gymnast. u. Agon. d. Hell. II 843, 3. *Meursius* orchestr. p. 1251.

2) cf. *Scaliger*. conjj. Varron. p. 226 Bip.

3) σχιστάς ἕλκειν Poll. § 105; cf. Hesych. σχίσμα.

4) Uberrimam variarum de pyrrhichae origine veterum sententiarum collectionem praebet *Val. Rose* Aristot. pseudepigr. p. 481 sq. *Ephorum*, etiam alibi a se usurpatum, secutus est Juba.

„ἔντονα“ vocat Pollux § 102 „ὀρχήματα“ θερμαυστρίδας et ἑκατερίδας. Jam cf. Hesych. θερμαυστρίς· — ὄρχησις ἔντονος καὶ διάπυρος τάχυς ἕνεκα cet. σύντονον idem ὄρχημα vocant Eustath. p. 1601, 27, Photius, alii a *Schneidero* att. Theaterw. p. 228 sq. enumerati, quorum item in *Didymo* radices. [1])

Saltationum enarrationem his verbis claudit Pollux § 105: ὁ δὲ τετράκωμος, τὸ τῆς ὀρχήσεως εἶδος, οὐκ οἶδα εἴ τι προσῆκον ἦν τοῖς Ἀθήνησι τετρακώμοις, οἳ ἦσαν Πειραιεῖς, Φαληρεῖς, Ξυπεταίονες, Θυμοιτάδαι. Hanc de illius vocis veriloquio *conjecturam* — nam *conjecturam* esse Pollux significat — Hesychium quoque sequi, quantumvis lacerata haec docet glossa: τετράκωμος· μέλος τι σὺν ὀρχήσει πεποιημένον εἰς Ἡρακλέα ἐπινίκιον. ἐκαλεῖτο δὲ τέσσαρες κῶμοι.

Satis firma haec videbuntur argumenta judicibus rei tenuitatem perpendentibus, quibus, ceteras quas praemisi rationes si in auxilium vocamus, eodem atque Pollucem auctore nisum esse Didymum concludatur. Jam cum hoc satis certum esse videatur, non leve eius opinionis, qua Athenaeum Pollucemque ex eodem sua quemque libro transscripsisse conjeci, ea in re cernitur documentum, quod nonnunquam cum *Athenaeo* his in rebus describendis ita consentit *Hesychius*, ut de casu cogitari nequeat. [2])

1) cf. etiam Hesych. ἑκατερέομαι.

2) Ex *Pamphilo* Athenaeum ea hausisse, quae de organis musicis eodem atque Hesychius modo tradit, *M. Schmidtius* censet, quaest. Hesychian. p. LXXI sqq. At Pamphilo Hesychium vel tantum debere negandum mihi videri supra dixi. Sed etiamsi hoc concedas, restat altera difficultas. *Jubae* nempe notitiam Pamphilo Athenaeum debere statuit Schmidtius. Sed Pamphilus ille, vel quicunque fuit Hesychii (Diogeniani) auctor, cum ne commemoret quidem instrumenta quaedam, quorum ex Juba se hausisse descriptionem Athenaeus affirmat, hisne igitur de organis Athenaeus ipsum Jubam, cuius ceteroquin ex Pamphilo transscribere opiniones satis habuerit, consuluisse censendus est, et Jubae quidem illa frusta aut artificiose aut neglegenter excerptis ex Pamphilo locis intermiscuisse? Id mihi quidem prorsus videtur incredibile. Est nimirum hic unus ex illis de quibus p. 11. monui

Veluti quae de voce κλεψίαμβος narrat Hesychius ad eundem ille refert Aristoxenum, ex quo sua hausit Athenaeus vel is potius quem Athenaeus compilavit IV 182 F.

φώτιγγα idem esse instrumentum atque λώτινον αὐλόν cum dicere neglexerit Pollux, (§ 74), narrat cum Athenaeo IV 182 D/E Hesychius. [1])

Athenaeus IV 177 haec refert: ἡμίοποι· εἰσὶ δ' οἱ αὐλοι οὗτοι ἐλάσσονες τῶν τελείων. Simillime Hesychius: ἡμίοποι· οἱ μὴ τέλειοι αὐλοί et: ἡμίοπος· αὐλὸς ὁ ὑποτεταγμένος τῷ τελείῳ.

„— καὶ ἀγγελικὴν παρ' οἶνον ἠκρίβου ὄρχησιν" Athenaeus refert XIV 629 E: „ἀγγελική· ὄρχησίς τις παροίνιος." Hesych.

Luculentissimum eiusdem ab Athenaeo Didymoque auctoris adhibiti argumentum illud est de σκοπῷ et σκωπί saltationibus quod supra proposui (v. p. 24.) [2])

Etiam illud communis Polluci Athenaeo Didymo fontis documentum est non neglegendum, quod quae de dipodia saltatione referunt Athenaeus et Pollux, ea conjuncta exhibet Hesychius; qua de re monui p. 29.

Denique cum multa nomina omittat Athenaeus, enarrationem in angustissimos fines contraxerit Pollux, mirum non erit, neque nobis scrupulum movebit, quod ex amplioribus Didymi copiis Jubae procul dubio, ubi res ferebat, plenam et integram recipientis doctrinam, aliquotiens quaedam servata sunt apud Hesychium, quorum apud Pollucem Athenaeumque aut nihil omnino comparet, aut pallida quaedam lineamenta.

S. v. παρίαμβος ad *Apollodori* locum provocat Hesychius, ex illo haud dubie opere petitum quod XIV 636 F ex ipso Didymo (v. p. 49) citat Athenaeus.

---

locis, ubi non Pamphilum compilavit Athenaeus, sed ipsos, quos communis et Pamphili et Diogeniani (in Περιεργοπένησιν) auctor praecipuus, Didymus, in lexicis suis collegit, fontes adiit.

1) Athenaeum compilavit Eustathius p. 1157, 44.

2) γλαύξ Athen. XIV 629 F; cf. Hesych. γλαύξ — ἐλέγετο δὲ καὶ ὄρχησίς τις.

De *odontismo* saltatione quae narrat Hesychius, aliquanto pleniora sunt quam quae de eadem Pollux docet § 79. (cf. § 84.)

Καλλίνικον sacram fuisse Herculi saltationem Pollux § 100 refert; Κερβέρυ ἀναγωγήν in ea celebratam esse ab Hesychio docemur.

De tetracomo saltatione paullo quam Pollucem ampliora narrare Hesychium modo vidimus (p. 53.)

Ξιφισμόν fuisse ἐμμελείας, i. e. tragicae saltationis speciem neque Pollux § 99 dicit neque Athenaeus XIV 629 F; docent Hesychius, Pausanias ap. Eustath. p. 1167, 23 (v. *Rindfleisch* de Ael. Dionysii et Pausaniae lex. rhet. p. 96.), alii a *Schneidero* Att. Theaterw. p. 227 collecti,[1]) qui a Didymo sua mutuati sunt ad unum omnes.

Sed his locis cum plura quidem quam Pollux narret Hesychius nihil tamen quod cum illo pugnet, nihil aliud hinc consequitur, quam minus constanter in auctore suo plenius parciusve describendo versatum esse Pollucem, itemque Diogenianum. Huc autem id quoque pertinet quod de *mothone* saltatione aliquanto pleniora quam Hesychius et Pollux (§ 101) tradunt scholia Arist. Eq. 634 et Plut. 279 (p. 340 Dbn.), quae sua certissime debent Didymo, hic quoque Jubam plenius expilanti. Porro addam, ea quoque quae Orus tradit in Antiatt. p. 88,4 de ginglaro tibia et Didymo deberi, ut in illo libello pleraque omnia[2]), et a Didymo excerpta videri ex Jubae historia theatrali, ex qua plura servavit Pollux § 82. Ad verbum denique consentiunt Pollux et Didymus in voce ῥικνῦσθαι explananda; quam vocem „τὴν ὀσφῦν φορτικῶς περιάγειν" et ille interpretatur § 99 et Et. M. p. 270,4 ad Cratetis comici locum provocans; simillimeque alii lexicographi quorum Schneiderus l. l. p. 234 locos collegit.

1) Cf. etiam *Krausius* Gymnast. u. Agon. d. Hell. II 840. 41.

2) V. *Naber*. prol. Phot. p. 99.

IV.

Sed jam subsistendum est: ego enim, quibus, revera Jubae esse theatralem historiam quam certatim compilaverint Didymus Pollux Athenaeus, dubitantibus persuadeam, jam non amplius habeo argumenta; et ego quidem in subsidiorum exiguitate harumque omnium de fontibus quaestionum obscuritate quae possint expectari clariora vestigia nescio. Jam vero qui in instrumentis musicis inque saltationum generibus describendis *Jubam* a Polluce expilatum esse concesserit, is in reliquis quoque rerum scaenicarum provinciis eundem ducem sane peritissimum a sophista nostro adhibitum esse libenter largietur. Nam probandi quidem in his reliquis partibus rationes deficere saepius jam monui. Sed sufficiet fortasse ad hanc quaestionem quantum fieri possit dijudicandam meminisse, quod abiciendi libri et commodissimi et utilissimi sana ratio vix poterit excogitari. Verum quidem est: ne id quidem eis qui nisi disertis testimoniis nihil credendum esse jactent probari potest, a Juba omnes descriptas fuisse amplae materiae partes. Sed septemdecim vel plures adeo libros qui rei histrioniae destinabat, eumne credemus in organis musicis saltationibusque substitisse? Immo noli dubitare quin illis rebus absolutis ad alias partes perrexerit accurate enarrandas. Et de *histrionibus* quidem illum egisse probari adeo si opus est poterit; nam de illis agitur in scriptoris alicujus fragmento quem τὸν τὰς θεατρικὰς ἱστορίας συγγράφαντα vocat schol. Demosth. f. leg. p. 151 Dobs.[1]): quem quin recte *Jubam* esse conjecerit *Meinekius* hist. crit. com. p. 15 sq. quis dubitabit? De *personis* quoque illum egisse ut probem periti judices ne poscent quidem; qua in re fortasse Aristophanis Byzantii de personis scaenicis commentatione, lexico ut videtur inserta[2]) usus est. Nam quod unicum restat

1) vol. I p. 435, 28 ed. Dindf. (Oxon. 1851.)
2) cf. *Nauck*. Ar. B. p. 76. not.

illius commentationis fragmentum, de Maesone persona comica, (Nauck p. 276), id quanquam non ad verbum repetitur apud Pollucem (IV 150), me quidem judice in personis quoque describendis (§ 133—154) a Juba pendentem, nihil tamen ab illo narratur quod cum Aristophanis doctrina pugnet; immo quod Maesoni statim adjungit τέττιγα, ea in re sequi adeo videtur Aristophanis exemplum (v. *Nauck*. p. 276). Ipsius Jubae de personis commentationis vola extare possit videri; sed ea quoque fallax est species. Hesychius enim s. Βρίγες haec dicit: οἱ μὲν Φρύγες — censent hanc vocem significare — οἱ δὲ βάρβαροι. οἱ δὲ σολοικισταί. Ἰόβας δὲ ὑπὸ Λυδῶν (ἀπο)φαίνεται βρίγα λέγεσθαι τὸν ἐλεύθερον. Poterat hac de re eo loco disputare Juba ubi de persona quadam βρίκελλος appellata sermocinabatur; nam hanc vocem cum altera illa cognatam esse censebant veteres, cf. Hesych. s. v. Et. M. 213,40. Sed hanc ipsam personam adeo ne cognitam quidem habuisse videtur Juba; huc enim valere puto quae s. βρίκελλος narrat Hesychius, *Didymum* eam pro persona barbara habuisse, ita ut si quid omnino hinc concludere licebit id potius concludendum sit, *omissum* fuisse hoc personae nomen apud eum auctorem quem his in rebus solebat sequi Didymus, Jubam scilicet. Vere igitur ὁμοιότησιν hoc Jubae fragmentum tribuisse videtur *Plaggius* de Juba p. 59, quo libro usum esse Didymum certum est.

Sed cur haereo? Omnino aequo harum rerum arbitro plane non erit dubium, quin historiam theatralem tot libris qui conscriberet is *omnem* rem scaenicam amplissime et accuratissime fuerit interpretaturus. Poterit autem hoc quoque ea ratione aliquatenus demonstrari, ut nonnunquam in ceteris quoque apparatus scaenici partibus enarrandis cum lexicographis consentire Pollucem demonstretur. Hos enim cum Didymo plurima, et his quidem in rebus tantum non omnia debere constet, cumque Didymum *Jubae* in rebus theatralibus ope usum esse demonstraverim: ille quem dixi consensus id poterit profecto probare, non dimissum esse

a Polluce in medio itinere eum ducem, quem fidelem probeque viae peritum cognoverat, sed Jubam illi ut antea ita nunc quoque ducem fuisse et comitem.

Sed prius quam hanc Pollucis partem cum lexicographis quam potero brevissime comparem, id monendum est, plurimas voces a Polluce brevius fusiusve explanatas in lexicis ne commemorari quidem, quod unde fiat supra (p. 6) jam monui: eas nimirum tantummodo voces a Didymo explanatas esse consentaneum est, quae forte in comicorum tragicorumve poetarum fabulis legerentur. Quare noli nimium ex hac comparatione fructum expectare. Praeterea autem quae minoris momenti sunt omittere malui quam commentationis molem augere in re parum gravi.

Poll. § 118: ἡ δὲ σατυρικὴ ἐσθής — αἰγῆ, ἣν καὶ ἰξαλῆν ἐκάλουν. Hesych. ἰξαλῆ αἰγός δορά. Phot. ἰξαλῆ ἡ αἰγεία, ἐπεὶ ἴξαλοι αἱ αἶγες. Cf. lex. rhet. ap. Eustath. 450, 24 (et de ipsa voce *Pierson.* ad Moerid. p. 445 sq. *Nauck.* Ar. Byz. p. 104 sq.)

De voce θήραιον quae habet Pollux § 118, ea num ex eodem fonte fluxerint atque lexicorum de eodem vocabulo doctrina ideo non potest decerni, quia brevissime sua exponit Pollux (cf. VII 48. 77), longe plura praebent lexica, quae v. ap. *Schneiderum* l. l. p. 166. Idem de exomide dicendum, § 119. Cf. Poll. VII 47 et quos *Schneiderus* p. 167 laudat.[1]) (Ex Diogeniano eadem quae apud Hesychium leguntur profert schol. Dion. Chrys. or. LXXII §. 1. p. 789 Emp.)

§ 118 χορταῖος· χιτὼν δασύς, ὃν οἱ Σειληνοὶ φοροῦσιν. Cf. Hesych. χορταῖος· δασὺς χιτὼν οἷος (add. ὁ) τῶν Σειληνῶν· Cf. idem s. χορταιοβάμων Ael. Dionys. ap. Eustath. 1166, 55 (*Rindfleisch.* p. 110.)

§ 120: de lenonum baculis: ἄρεσκος καλεῖται ἡ ῥάβδος. Hinc suppleri poterit mutila Hesychii glossa ex eodem fonte oriunda: ἄρεσκος· — ἡ διδομένη ῥάβδος-τοῖς κωμικοῖς.

1) Cf. *Becker.* Caricl. III 162. Veterum locis adde *Cyrilli* glossam a *Mehlero* editam, Mnemos. III p. 220.

Inter feminarum vestitum § 120 numeratur συμμετρία· ὅπερ ἐςτὶ χιτὼν ποδήρης, ἁλουργὴς κύκλῳ. Paulo alia docet Hesychius, non aliena: συμμετρία· ἔνδυμα γυναικῶν ποδῆρες ὀὐκ ἔχον σύρμα.

§ 121 πρῶτον ξύλον· ἡ προεδρία cet. Hesych. πρῶτον ξύλον· πρῶτον βάθρον, ἡ προεδρία.

§ 121: — τὸν πρῶτον καθίζοντα πρωτόβαθρον εἴρηκεν Φερεκράτης ὁ κωμῳδοδιδάσκαλος. Hesych. πρωτόβαθρον· τὸν προεδρίας ἀξιωθέντα. Alia tradit *Orus* Antiattic. p. 112, 26: πρωτόβαθρον· ἐν ταῖς σκηναῖς οἱ πρῶτοι τῶν χορευτῶν ἑστῶτες, Didymum suum perperam intellegens; nam falsam esse hanc interpretationem vel veriloquium evincit.

§ 122: πτερνοκοπεῖν dicit Pollux spectatores ὁπότε τινὰ ἐκβάλλοιεν. ἐφ'ὃ καὶ τὸ κλώζειν. Hesych. κλώζειν· τὸ ἐκβαλεῖν ἐκ τῶν θεάτρων, qui plura deinde addit de hoc contemptus genere, quibuscum Photius I 347 N. consentit. Simillima Eustathius profert 1504, 29 ad παλαιὸς provocans.

§ 122: ἐκαλεῖτο δέ τι καὶ βȣλευτικὸν μέρος τȣ̃ θεάτρȣ καὶ ἐφηβικόν. Ex eodem apertum est auctore transscripta esse quae apud Hesychium leguntur: βȣλευτικόν· τόπος τις Ἀθήνησιν ἐν τῷ θεάτρῳ, ὅπου οἱ βουλευτικοὶ καθήμενοι ἐθεῶντο· καὶ οὗ οἱ ἔφηβοι ἐφηβικὸν ἐκαλεῖτο.

§ 122: ἔξεστι δὲ καὶ τὸ παραπέτασμα αὐλαίαν καλεῖν, Ὑπερίδȣ εἰπόντος ἐν τῷ κατὰ Πατροκλέȣς cet. Hesych. αὐλαία· — τὸ τῆς σκηνῆς παραπέτασμα. Didymum eodem atque Pollucem auctore usum esse docent glossae in Antiatt. p. 83, 7. et in VI. Bekkeri lexico p. 463, 14, in quibus ad eundem Hyperidis locum provocatur.

§ 123: De *thymela* tam exigua sunt quae Pollux profert, ut plane nequeat dignosci, num eundem ille sequatur auctorem atque ceteri grammatici, quorum locos *Schneiderus* exscripsit p. 75 et 262.

§ 123: ἐπὶ δὲ τῆς σκηνῆς καὶ ἀγυιεὺς ἔκειτο βωμὸς ὁ πρὸ τῶν θυρῶν. Hesych. ἀγυιεύς ὁ πρὸ τῶν θυρῶν ἑστὼς βωμὸς ἐν

σχήματι κίονος. — De forma illius arae docta extat adnotatio in sexto lexico Bekkeri p, 331 sq.

De ἐλεός quae docet Hesychius levia sunt. Quae vero dein posuit Pollux: θεωρίς, ὑποσκήνιον, κλίσιον, περίακτοι et alia plurima, ea quantum ego scio a nullo praeterea grammatico commemorantur.

De diversarum in scaenam orchestramque personarum introitu haec narrat Pollux § 126. 127. periactorum ἡ μὲν δεξιὰ τὰ ἔξω πόλεως δηλοῦσα, ἡ δὲ ἑτέρα τὰ ἐκ πόλεως, μάλιστα τὰ ἐκ λιμένος. Et deinde: τῶν μέντοι παρόδων ἡ μὲν δεξιὰ ἀγρόθεν ἢ ἐκ λιμένος ἢ ἐκ πόλεως ἄγει· οἱ δ' ἀλλαχόθεν πεζοὶ ἀφικνούμενοι κατὰ τὴν ἑτέραν εἰσίασιν. Possit igitur videri quae porta in *scaenam* producit ex urbe venientes ea in *orchestram* eos potius admittere qui peregre adveniant. Haec si fuit Pollucis opinio, falsus est. At non fuisse censent viri docti, sed easdem revera regiones et in scaena et in orchestra urbis peregrinarumque terrarum situm significare; quae enim in scaena dextra dicatur plaga, eis nempe qui ad theatrum spectent, eandem in orchestra versantibus et scaenam versus faciem vertentibus a sinistra esse. Ita post *Buttmannum* hanc difficultatem diluendam censuit *Schoenbornius* de scaena Graeca p. 73. Possit revera haud difficulter admitti haec ratio; sed neglegentissime profecto versatus esset Pollux, si hanc directionis mutationem ne uno quidem verbo indicasset, sed lectores potius in errorem paene necessarium inducere maluisset. Dolendum est quod hac de re silent ceteri grammatici. Unus tantum praeter Pollucem testis extat, vitae Aristophanis in codice Veneto servatae auctor, qui in fine haec adjecit (v. Schol. Aristoph. ed. Duebner. p. XXVIII a, not.[1]) ὁ κωμικὸς χορός — εἰ μὲν ἀπὸ τῆς πόλεως ἤρχετο ἐπὶ τὸ θέατρον διὰ τῆς ἀριστερᾶς ἁψῖδος εἰσῄει, εἰ δ' ὡς ἀπ' ἀγροῦ διὰ τῆς δεξιᾶς.[2]) Vides hic chori quoque introitus ita desig-

1) Vel *Westermanni* Βιογρ. p. 158 sq. in adnotatione.

2) Plane eadem tradit Tzetzes prolegom. in Aristoph. ap. Keil.

nari ut qui loquatur *theatrum* versus spectet. *Errasse* credit hunc grammaticum Schoenbornius; ego contra a turpissimae neglegentiae crimine ita liberare malim *Pollucem,* ut altero loco aut ipsius aut librarii calamum lapsum esse et pro ἀριστερά scripsisse δεξιά coniciam.[1]) — Sed altero illo loco id quoque quemvis offendat necesse est quod „ἀγρόθεν ἢ ἐκ λιμένος ἢ ἐκ πόλεως" ita conjunguntur tanquam non acriter interse *oppositae* essent urbis agrique regiones! id quod cum per se constat tum idem ille ad quem modo provocavi vitae Arist. locus demonstrat. Praeterea πεζοί illud quid sibi velit difficile est intellectu. ἀγρόθεν denique eo quo legitur loco tolerari non posse intellexit *Schoenbornius* p. 74; sed quod ipse scribendum conjecit: ἀγορῆθεν, id quam falsum sit nolo multis demonstrare. Frigida sunt quae idem de vocis πεζοί significatione protulit; quae vox si sana est, id unum potest significare quod cum Buttmanno G. Hermannus intellexit, nimirum non *navibus* sed *terra* advenientes. Nolo nunc neque audeo hanc litem dirimere; sed omnia me judice sana erunt si ita restituantur: τῶν μέντοι παρόδων ἡ μὲν ἀ ρ ι σ τ ε ρ ὰ ἢ ἐκ λιμένος ἢ ἐκ πόλεως ἄγει· οἱ δὲ ἀ γ ρ ό θ ε ν ἢ ἀλλαχόθεν πεζοὶ ἀφικνούμενοι κατὰ τὴν ἑτέραν εἰσίασιν.[1]) Per laevam igitur

---

mus. rhen. n. VI 115, 16 sq. (= Ritschelii opusc. I 204), qui Dionysio (Halicarnassensi juniori), Crateti (Mallotae), Euclidae, bonis priscisque auctoribus, sua se debere testatur. Ipse Tz. quin *unum Euclidem* inspexerit, comparato illius de tragica poesi commentario (Cramer. an. Ox. III) nequit dubitari.

1) Ab externa specie multo magis arridere *Wieseleri* conjecturam concedo, in Erschii Gruberique encyclop. sect. I part. LXXXIII p. 226. n. 125 propositam: ἡ μετὰ δεξιά (nempe ἄγουσα, i. e. ἀριστερά). Sed neque illo μέν facile caremus, neque qui unquam μετὰ δεξιά pro ἐπὶ δεξιά, vel εἰς δεξιά dixerit, novi quemquam, neque lenem esse illius: ἄγουσα ellipsin puto. Denique gravissimum hoc est, quod ipse vir doctissimus nullam omnino rationem indicavit, cur tam scruposis ambagibus Pollucem uti maluisse credat, quam plane et aperte dicere: ἡ μὲν ἀριστερά.

2) Quam frequens sit Pollucis librariorum in vocibus collocandis error, is probe sciet qui Hemsterhusianam editionem cum Bekkeriana

portam ei ingrediebantur in orchestram qui aut ex portu aut ex urbe veniebant, per dextram qui aut ex agro adveniebant aut peregre quidem sed (non, ut ei qui ἐκ λιμένος veniebant, navibus sed) tali ex regione unde sicco pede in illam qua fabula agebatur terram perveniri poterat. ἀγρόθεν igitur illud oppositum est illi ἐκ πόλεως, ἀλλαχόθεν πεζοὶ ἀφικνέμενοι illis oppositi sunt qui ἐκ λιμένος ἀφικνῦνται.

§ 127: τῆς δὲ κλίμακος οἱ βαθμοὶ κλιμακτῆρες καλῦνται Phot. κλιμακτῆρες, ὓς ἔνιοι βαθμὺς λέγυσι τῶν κλιμάκων. Cf. Poll. X 171.

§ 129: τὴν δ' ἐξώστραν ταὐτὸν τῷ ἐκκυκλήματι νομίζυσιν. Eiusdem opinionis Diogeniani quoque auctorem fuisse haec docet Hesychii glossa: ἐξώστρα· ἐπὶ τῆς σκηνῆς τὸ ἐκκύκλημα.

Quae de eccyclemate dicit Pollux § 128, neque consentiunt insignem in modum neque vero discedunt ab eis quae ceteri docent gramatici: v. *Schneider* p. 93.[1])

Σκοπή, τεῖχος, πύργος, φρυκτώριον, διστεγία, κεραυνοσκοπεῖον, θεολογεῖον, καταβλήματα, ἡμικύκλιον, χαρώνιοι (χαρώνειοι scribendum censet Boettigerus kl. Schr. I 260.) κλίμακες, multa alia ab aliis grammaticis non commemorantur.

De *gerano* quae habet Pollux § 130 non pugnant certe cum confusa quam quintum Bekkeri lexicon p. 232, 5 sq. et Etym. M. 228, 2 proferunt doctrina.

αἰώρας Pollux § 131 dicit esse τὺς κάλως οἳ κατήρτηνται ἐξ ὕψυς ἀνέχειν[2]) τὺς ἐπὶ τῦ ἀέρος φέρεσθαι δοκοῦντας ἥρως

---

accuratius comparaverit: qua comparatione grato simul animo quanta sint de Polluce Bekkeri merita cognoverit. Quam *Wieselerus* (progr. Gottingens. 1866. p. 11) proposuit conjecturam, pro ἀγρόθεν scribens ἀγχόθεν, ea cum aliis de caussis minus placet, tum, si non falsam, at plane saltem otiosam infert notionem; nam utrum „ex *vicinia*" adveniant vel histriones vel choreutae nihil ad rem; de sola agitur *regione*.

1) Sed cf. *Wieseler*. l. l. p. 18. Ceterum ad quem ille provocat Clementis Alexandrini Scholiastam (vol. IV p. 98 Klotz.) is plane nequit dubitari quin praeter primam eccyclematis descriptionem omnia ex Polluce stupidissime exscripserit, cum ipsis adeo mendis: veluti ἐν 'ῇ pro οἱονεί ex codice aliquo Parisini A simillimo secure transscripsit.

2) Scrib. aut τοῦ ἀνέχειν aut, quod malim, ἀνέχοντες.

ἡ θεὸς. *Partem* igitur μηχανῆς voluit esse; contra Suidas. ἑώρημα idem esse dicit atque μηχανήν, minus haud dubie accuratus; nam eundem utrique fuisse auctorem aperte demonstrat *Bellerophontis* exemplum[1]) et a Polluce in μηχανῆς descriptione § 128 et a Suida adhibitum.

Quae de *personis* profert Pollux § 133 sqq., eorum sol ei debemus notitiam; nam nihil fere apud ceteros lexicographos repetitur qui, Didymum secuti, nisi quae apud comicum aliquem tragicumve poetam usu veniebant non exhibent nomina. Velut σπαρτοπόλιον (Poll. § 134) ideo tantum commemoratur apud Photium quia Menander hoc usus erat vocabulo. —

His exemplis quod evincere volui abunde puto demonstratum esse; eodem in universum atque Pollux usus est auctore Didymus: quem cur Jubam esse censeam nunc iterum repetere nolo.

Neque contra hanc opinionem faciunt diversitates quaedam, quas inter Pollucem et Didymi sectatores intercedere videmus.

Veluti ἐμβάτας *comicorum* vocat histrionum calceamenta Pollux § 115, *tragicorum* ἐμβάδας (cf. P. VII 91.). Contrarium affirmant Ammonius p. 49 Valck. quosque ibi laudat Valckenarius recentiores grammatici. Item Suidas s. Αἰσχύλος et Herodianus personatus Φιλεταιρ. p. 436 Piers., atque est hic Luciani usus eis locis quos *Schneiderus* Theaterw. p. 163 exscripsit. Contra item ut Pollux ἐμβάδας tragicis histrionibus tribuit schol. Dionys. Thrac. in Bekkeri anecd. II 746, 18; quo loco non debebat ἐμβάτας substituere *Valckenarius* animadv. ad Ammon. p. 75[2]). — § 116 haec refert Pollux: ἀγρηνόν· τὸ δ'ἦν πλέγμα ἐξ ἐρίων δικτυῶδες περὶ πᾶν τὸ σῶμα, ὃ Τειρεσίας ἐπεβάλλετο ἤ τις ἄλλος μάντις. Plane alia

1) Ad *Euripidis*, ut videtur, fabulam cognominem referendum. Cf. *A. Nauck.* ad Eurip. Beller. (trag. fr. p. 352.)

2) Item κωμικὰ ὑποδήματα vocat τὰς ἐμβάτας Schol. Voss. Lucian. Necyom. 16 (III 21 Bip.)

docent Hesychius et Phavorinus (p. 26, 30 ed. Basil. 1538 fol.) ἀγρηνόν [ποικίλον ἐρεῦν add. Phav.] δικτυοειδές [καὶ ἔνδυμα ποιόν add. Ph.], ὃ περιτίθενται οἱ βακχεύοντες Διονύσῳ· Ἐρατοσθένης δὲ [Ἑρμ. XXIV p. 155 Bernh.] αὐτὸ καλεῖ γρῆνυν ἢ γρῆνον. καὶ ἔνδυμα [κ. ἔ. om. Ph.]. Didymi haec esse docet Eratosthenis commemoratio.

§ 128: ὃ δ'ἐστὶν ἐν τραγῳδίᾳ μηχανή, τοῦτο ἐν κωμῳδίᾳ κράδη. Contra Hesychius: κράδη· — ἀγκυρὶς ἐξ ἧς ἀνήπτοντο οἱ ἐν ταῖς τ ρ α γ ι κ α ῖ ς μηχαναῖς ἐμφαινόμενοι. Item paroem. Vatic. II 20 apud *Schneiderum* p. 97 in. Contra μηχανὴ secundum quintum Bekkeri lexicon p. 208,9 παρὰ τοῖς κ ω μ ι κ ο ῖ ς 'εγκυκλήματός τι εἶδος vocatur.

Βροντεῖον sic describit Pollux § 130: τὸ δὲ βροντεῖον· ὑπὸ τῇ σκηνῇ ὄπισθεν ἀσκοὶ ψήφων ἔμπλεοι διωγκώμενοι φέρονται κατὰ χαλκωμάτων. Paullo aliter schol. Arist. Nub. 294 (cf. 292. Suid. s. v.): μηχανή ἐστιν ὃ καλεῖται βροντεῖον, ὑπὸ τὴν σκηνήν, ὃ ἦν ἀμφορεὺς ψηφῖδας ἔχων θαλασσίας. ἦν δὲ λέβης χαλκοῦς, εἰς ὃν αἱ ψῆφοι κατήγοντο, καὶ ἦχον ἀπετέλυν ἐοικότα βροντῇ.

Sed hae diversitates adeo pro mea sententia pugnant. Eodem enim quo Pollucem auctore usum esse Didymum cum intellectum sit, jam talis anquirendus est scriptor, quocum consensisse in multis, saepe autem diversa sensisse sciamus Didymum; quae signa in nullum melius quam in *Jubam* conveniunt; ut is tanquam digito monstretur.

V.

Jam quaerendum est, num forte cognosci possit, quibus ipse Iuba fontibus usus sit. Qua in re parum nos juvant ea auctorum nomina, quae in Iubae locis apud Athenaeum excerptis laudantur: Aristoclis[1]), Aristoxeni,

---

1) Quanquam quae ex *Aristocle* de hydraulo referuntur IV 174 C, non ex Juba hausisse sed ex ipso Aristocle descripsisse puto Athenaeum; quippe qui Aristoclis opus περὶ χορῶν diligentissime versaverit et haud dubie ipse inspexerit. Item *Posidonii* ex tertio Ἱστοριῶν

Democlidis, Protagoridae, Euphorionis, aliorum. Nam nec quantum horum singulis debeat Juba, nec vero num omnes ipse inspexerit, aliqua cum probabilitate decerni potest. — Quem Athenaeus XIV 634 D Iubae subripuit centunculum, ei indiculus intextus est auctorum qui de tibiis et tibicinibus scripserint, κατὰ στοιχεῖον dispositus. Sed hunc ab ipso Athenaeo ex opere aliquo pinacographico transscriptum esse, libenter concedo *Did. Volkmanno* symb. phil. Bonnens. p. 723.: ut hinc de Iubae fontibus ne conjectura quidem fieri possit. Contra in parili loco IV 182 C Ephori Euphranorisque et Alexionis nomina ex ipsius Iubae de tibiis commentatione hausta esse puto. In eius modi enim auctorum indicibus id praecipue considerandum censeo, utrum κατὰ στοιχεῖον collocata sint nomina, necne. Illud si fit, πίνακα aliquem adhibitum esse veri est simillimum; contra ubi ordo στοιχειακός ab ipso compilatore plane neglectus est, multo mihi quidem probabilius est, ex antiquiore aliquo auctore, qui his ipsis scriptoribus plurima se debere indicaverat, eius modi indices transscriptos esse.[1]) Haec si vera sunt, nescio an illo loco eos teneamus scriptores, quibus ipse Iuba in tibiis describendis pleraque accepta retulerit. Et Ephoro quidem etiam de pyrrhichae inventore assensum esse Iubam supra (p. 52 n. 4.) adnotavi. — Omnino, quem in Assyriacis scimus Berosum secutum esse, in antiquitatibus Romanis Varronem, eum sumere licet, cum nequeat ad amussim probari, etiam in rebus scaeni-

libro locum IV 176 B pro more suo parum apposite Athenaeum de suo infersisse persuasum habeo. Est enim illud opus ex eis quorum maxime Athenaeus usum frequentat. Contra inde a Tryphonis commemoratione p. 174 F cetera omnia Jubae debet.

1) Cf. quae p. 10. adn. protuli. Ita Plinius quem in libri XXIII auctorum indice exhibet de Alexandro Magno scriptorum recensum, ex Statio Seboso descripsisse videtur: v. *Brunnius* de auctor. indic. Plin. p. 50. — Simile quid Suidas suscepit, in *Sopatri* comici fabularum titulis ex Athenaei variis locis colligendis. Cf. praeterea Suid. s. Ἀριστώνυμος, Ἐπιγένης, Μνησίμαχος, Τηλεκλείδης, Τιμοκλῆς (com.), Χαιρήμων, cet.

cis perlustrandis optimos quosque duces praeoptavisse. Quanquam licebit ultra hanc conjecturae imbecillitatem aliquantum progredi.

Primum *gerani* saltationis descriptionem ex *Dicaearchi* περὶ μουσικῶν ἀγώνων commentatione,[1]) amplo ut videtur operi de Vita Graecorum inserta, hausisse Iubam apparet collatis Polluce IV 101 et Plutarcho Thes. 21.

Multo certius est, ceteris illum frequentius consuluisse *Tryphonis Alexandrini* libros περὶ ὀνομασιῶν; qua de re supra (p. 47.) monui. Inter Tryphonis fontes Aristophanem Byzantium fuisse scimus. Ceterum a *Dionysio* Tryphonis aut filio aut discipulo illius onomasticum renovatum esse atque, ut mihi quidem videtur, amplificatum, ideo monendum duxi, quia eum qui hoc demonstrat Athenaei locum XIV 640 F 641 A perperam intellexit *Velsenus* Tryph. rel. p. 101.[2])

Iam vero *Westphali* quaedam consideranda est conjectura, qui in historia musices veteris p. 96 et 167 quaecumque de arte instrumentisque musicis doceat Pollux ex *Tryphone* hausta esse edixit. Non adjecit argumenta; sed quae sint sentire mihi videor. Ego vero non possum quin ita tantum adsentiar viro egregio, ut Tryphonis quidem doctrinae amplam partem in Polluce restare satis probabiliter conici posse concedam, ipsum Tryphonem, hac quidem in parte, a Polluce inspectum esse negem. Nam si ipso Tryphonis opere Pollucem usum esse dicamus, plane non intellecturi simus, quomodo factum sit, ut hic prorsus eodem ac *Iuba* modo explicaverit haud pauca, quae num commemorata adeo fuerint a Tryphone, non satis constat. Contra Tryphonis Pollucisque multis in rebus unanimitas unde orta sit, planissime ita intellegimus, ut *Jubae* libris

1) Cui hoc frg. jure tribuit *Muellerus* hist. gr. II 250.

2) Is enim de *librariorum* errore cogitavit, quae Tryphonis erant sub *Dionysii* nomine iterantium. Sed *Dionysii* nomen num de suo adinvenisse istos putabimus?

Pollucem usum esse dicamus: Iuba enim quin Tryphonis onomasticon adhibuerit nequit dubitari; ut actum acturus fuerit siquis, his in rebus, praeter Iubae theatralem historiam Tryphonis ὀνομασίας consulere in animum induxerit. — Ceterum Tryphonis nisi de cantiunculis quibusdam saltationibusque et instrumentis musicis non extant fragmenta. Westphalum igitur, ubi *omnia*, quae de arte odica organica hypocritica proferat Pollux, Tryphoni accepta refert, apparet eidem, qui in instrumentis musicis et saltationibus enarrandis compilatus sit, auctori ea quoque tribuisse quae §§. 65. 66. 78. 79. 83. 84. de harmoniis nomisque tam citharodicis quam auleticis profert Pollux. Et jure quidem suo fecit: nam qui nomina figurasque musicorum organorum enarrabat, is ne poterat quidem quin eorum etiam usum explicaret. Itaque ego quidem has quoque Pollucei operis partes ex Iubae historia theatrali haustas esse puto. Quid quod hodieque argumentatione quantumvis subtili demonstrari posse censeo, *Iubae* haec quoque deberi? Nam quae apud Pollucem leguntur § 65 τὸ μέντοι σιφνιάζειν καὶ χιάζεν, τὸ περιέργοις μέλεσι χρῆσθαι, ἀπὸ Δημοκρίτου τοῦ Χίου καὶ Φιλοξενίδυ τοῦ Σιφνίυ, ea ex eodem fonte fluxisse apparet quem is quoque adiit cuius haec apud *Suidam* glossa restat: Χιάζειν· Πραξιδάμας Δημόκριτον τὸν Χῖον καὶ Θεοξενίδην τὸν Σίφνιον πρώτυσ ἐπὶ χρώματος τάξαι τὴν ἰδίαν ποίησιν, ὡς Σωκράτης (Ἰσοκράτης ante Meinekium anal. Alex. p. 149. 50.) ἐν τοῖς πρὸς Εἰδόθεον, ὡς παρ' Ἀριστοφάνει τεταγμένου ὑποτείνει δέ τις αὐτὸν βωμολοχεῦσαι αὐτὸς δείξας ἐν ἁρμονίαις χιάζων ἢ σιφνιάζων[1]); nisi quod Suidas

1) Turbata haec esse apparet, atque vereor, ne per tot operariorum manus ad Suidam usque pervenerint, ut genuina forma nequeat restitui. Sed totius certe loci sententia quae sit cognosci posse puto. Versatur autem summa ea in re difficultas, quod Aristophanis fragmentum unde incipiat dubium est. Mihi quidem ὑποτείνει illud cum ceteris Aristophanis verbis conjunctum quid possit significare prorsus obscurum esse fateor, contra illa: ὡς Σωκράτης. κτλ. (an ὁ δὲ Σ. ?), ne plane titubent, verbo finito fulcienda esse censeo; ut totus assen-

vel, cui ille sua debere videtur, Photius communis auctoris doctrinam plenius exhibuit. Photius autem itemque Dio-

---

tiar *Toupio*, sic ultima restituenti: Σωκράτης- ὡς παρ' Ἀριστοφάνει τεταγμένον ὑποτείνει·

[εἰ] δέ τις αὐτῶν βωμολοχεύσαιτ' (cf. Nub. 970.)
αὐτὸς δείξας ἐν [ϑ'] ἁρμονίαις χιάζων ἢ σιφνιάζων.

Qua in emendatione placent omnia, necessarium est illud ϑ', sine quo ne stare quidem versum apparet: quare hoc certe etiam Bergkius Ar. frg. inc. 102. p. 1200. et *Dindorfius*, Arist. fragm. 558 p. 226 (ed. 1867.) receperunt. Sed quid sit Σωκράτης ὑποτείνει ipse qui restituit Toupius non satis perspexisse videtur. Quantum ego video, nihil aliud possunt haec significare quam: Socrates *proponit*, nempe ut ζήτημα, acutis solvendum. Fuit igitur inter ἐνστατικοὺς ille Socrates. Jam apparet, Didymi, cui procul dubio haec debemus, hanc fere fuisse sententiam: ὥστε λελύσθαι τὴν Σωκράτους πρότασιν· ὑποτείνει (sive προτείνει) γὰρ ἐν τοῖς πρὸς Εἰδόθεον τὸ „χιάζειν καὶ σιφνιάζειν“, ὡς παρ' Ἀριστοφάνει τεταγμένον. Cf. schol. Ar. Thesmoph. 1175. Neque illud obscurum, unde versus illius Aristophanei difficultas nata sit. Lusit nimirum Aristophanes in vocum χιάζειν et σιφνιάζειν ἀμφιβολίᾳ quadam; quas pediconum spurcitiis notandis vulgo inserviisse testantur Hesychius Photius (II 158 Nb.) Suidas: Aristophanes autem in Democriti et Theoxenidis (sive Philoxenidis; nam utrum Polluci reddendus sit Theoxenides an Philoxenides Suidae plane incertum: v. *Meinekius* com. gr. I 89 n. 40.) novationes transtulit. Quo lusu et illorum in arte musica mollitiem acerbissime castigavit, et salsissime insuper defricuit Democritum: cui quod Eupolis indidit teste Hesychio nomen: Βάστας (cf. *Meinekius* com. II 449 sq.), id monstrosae libidinis significationem continuisse ex Luciano, Pseudol. 3 extr., colligo. Maligne igitur ludos fecit Democritum, cuius uno vocabulo irrisit et artem enervem et pravam libidinem. Commentatores autem apparet non satis perspexisse, qua potissimum in re versetur ludibrium; ut haec inter doctorum hominum ἀπορίας fuerit, donec eruditus aliquis grammaticus Praxidamantem auxilio vocaret, cuius ope musicas praecipue Democriti Theoxenidisque novationes cavillari poetam demonstraret. Jam vero *Jubam* esse, qui hoc primus perspexerit et id quod supra proposui argumentum evincit, et ideo magis etiam credibile est quia illius eruditione etiam in Seleuci aliqua προτάσει solvenda usus est Didymus; v. schol. Arist. Thesm. 1175. — Praxidamantem illum *scriptorem* fuisse musicum jure censet Jonsius; cui non debebat obloqui *Muellerus* hist. gr. II 285. Num idem sit atque is ad quem totum opus misisse Aristoxenum significat Harpocration s. Μουσαῖος (nam hanc esse illius tituli „Πραξιδαμαντεῖα“ sententiam puto; cf. de similibus *Meinekius* anal. Alex. p. 16) non prorsus certum est, sed pluribus de caussis veri simillimum. Ceterum quid

genianus, cuius haec apud Hesychium superest glossa mutilata: χιάζειν· σιφνιάζειν, sua debent *Didymi* lexico comico. Iam vero inter Didymum Pollucemque in hac tota provincia nullum aliud conjunctionis vinculum intercedere quam quod *Iubam* uterque exscripserit demonstrare conatus sum. Etiam aliis quibusdam in rebus convenit Polluci cum Didymi compilatoribus; de quibus postea dicturus sum.

Iam igitur si de harmoniis quoque nomisque praecepit Iuba, felici casu factum est, ut hac certe in parte egregiis eum auctoribus usum esse possimus demonstrare. Pollucis enim si contemplamur his de rebus doctrinam, omnia, quorum non unicus ipse testis extat, ex eisdem ei fontibus sanequam praestantissimis provenisse intellegimus quibus *Plutarchus* usus est in suo de musica libello componendo. Plutarchum autem cum ab *Heraclide* et *Aristoxeno* tantum non omnia mutuatum esse *Westphali* evicerit sagacitas, vide quam locupletes Iubae auctores deprehendamus. Ab Aristoxeno quidem quae quantumque sumpserit Iuba, hodie vix licebit dignosci: in his de quibus nunc disputo rebus ego certe nihil audeo aliqua cum confidentia ad hunc auctorem omnium gravissimum revocare. Nisi quis forte id huc valere largiatur, quod Castoreum et Hieracium μέλη, a Polluce § 78 commemorata, ab Aristoxeno quoque nominata videmus (Plut. mus. 26.). Contra *Heraclidi* Iubam haud exigua debere certum est.

---

tandem Dem. et Theox. novaverint parilis docebit vitae Sophocleae locus, p. 132, 106 Westerm. φησὶ δ' Ἀριστόξενος, ὡς πρῶτος (Sophocles) τῶν Ἀθήνησι (ita Jenensis, rectius, ut puto, quam ceteri cdd., in quibus est Ἀθήνηθεν; quanquam hoc etiam cd. *Cahirensis* ap. *Tischendorfium* anecd. sacr. et prof. cd II p. 225 tuetur) ποιητῶν τὴν Φρύγιον (ita Jenens., Paris. S., Cahirens. Cf. Alciphr. III 59 τιάρᾳ Φρυγίῳ) μελοποιΐαν εἰς τὰ ἴδια ᾄσματα παρέλαβε; i. e. in *monodias*: cf. *Westphal.* metr. I 59 ed. noviss. Dem. igitur et Theox. *chromaticum genus* omnium primi in *monodias* (nam ποίησις ab ᾄσματι non diversum; cf. *Westphal.* ad Plut. mus. p. 66. 67. *Bergk.* lyr. ed. III p. 810.) introduxerunt. De *Agathone* simile quid narrat *Plutarchus* symp. III 1.

Primum quod αἱ πρῶται ἁρμονίαι vocantur apud Pollucem § 65 Dorica, Ionica, Aeolica, id sumptum videtur ex Heraclidis disputatione ab Athenaeo XIV 624 D servata. Cum eodem auctore (apud Plut. mus. 8) ea quoque in re consentit Pollux quod *auleticas* harmonias vocat δωριστὶ καὶ φρυγιστὶ καὶ λυδιστὶ (καὶ ἰωνικὴν καὶ σύντονον λυδιστί) § 78. Haec duo testimonia nec pugnant interse, — quae mira est opinatio *R. Volkmanni* (ad Plut. mus. p. 87), illic de citharodicis harmoniis sermonem fieri, hic de auleticis, obliti — et verissima docent: cf. *Westphal.* hist. mus. p. 167 sq. metr. gr. I 277 ed. noviss. Num Locricam harmoniam a Xenocrito[1]) inventam esse item ut Pollux § 65 docuerit Heraclides, ignoramus; ea tamen in re dissentire adeo interse possunt videri, quod Anthippum *Lydiae* harmoniae inventorem vocat Heraclides (Plut. 15 fin.), *Syntonolydiae* Pollux § 78. Sed cum verum sit quod *Pollux* tradidit (cf. Westphal. hist. mus. p. 147 sq.), nolim de Heraclidis Iubaeque dissensu cogitare sed de Plutarchi neglegentia Lydiam vocantis quam Syntonolydiam accuratius vocare debebat harmoniam. Nimirum saepius in hoc libello minus accuratum deprehendimus Plutarchum.

Certior etiam est in *Terpandri nomis*[2]) enumerandis Pollucis cum Heraclide consensus. Quorum ille haec habet § 65: νόμοι δὲ οἱ Τερπάνδρȣ ἀπὸ μὲν τῶν ἐθνῶν ὅθεν ἦν, Αἰόλιος καὶ Βοιώτιος, ἀπὸ δὲ ῥυθμῶν ὄρθιος καὶ τροχαῖος, ἀπὸ δὲ τρόπων[3]) ὀξὺς καὶ τετραῴδιος,[4]) ἀπὸ δὲ αὐτȣ̃ καὶ τȣ̃ ἐρωμένου Τερπάνδρειος καὶ Καπίων. Quibuscum confer quae ex Heraclide transscripsit Plutarchus c. 4: Ἐκεῖνος γȣ̃ν (Ter-

1) Φιλοξένȣ τὸ εὕρημα libri; sed Xenocritum Polluci jure restituit *Westphalus* metr. I 286. (cf. schol. Pind. Ol. XI 17.)

2) De quibus cf. *Westphal.* hist. mus. p. 73 sq. metr. gr. I 272. 286. II 279 sq. ed. noviss.

3) Τόπων scribendum conjecit *Westphal.* h. mus. p. 86 in.

4) Ita Bekkerus, cum A. ut videtur. τετραοιδός C (Palatinus Jungermanni) et Kuehnii Vossianus. τετραοίδιος recte, ut puto, scribendum censet *Bergkius* lyr. gr. ed. III p. 812.

pander) τὺς κιθαρῳδικὺς (νόμυς) πρῶτος ὠνόμασε Βοιώτιόν τινα καὶ Αἰόλιον, τροχαῖόν τε καὶ ὀξύν, Κηπίωνά τε καὶ Τερπάνδρειον καλῶν, ἀλλὰ μὴν καὶ Τετραοίδιον. Iuvat statim adscribere lexicographorum locos; quos „omnes indidem“ sua hausisse jam Naberus ad Phot. II p. 26 significavit. Photius I 449 et Suidas haec habent: νόμος. ὁ κιθαρῳδικὸς τρόπος τῆς μελῳδίας, ἁρμονίαν ἔχων τακτὴν καὶ ῥυθμὸν ὡρισμένον· ἦσαν δὲ ἑπτά [οἱ ὑπὸ Τερπάνδρυ[1])]· ὧν εἷς ὄρθιος [τετραοίδιος, ὀξύς]. Photius: ὄρθιον νόμον καὶ τροχαῖον· τοὺς δύο νόμυς ἀπὸ τῶν ῥυθμῶν ὠνόμασεν Τέρπανδρος. ἀνατεταμένοι δ'ἦσαν. Ex Photio haec quoque descripsit Suidas s. ὄρθιος νόμος; nisi quod in fine adjecit: καὶ εὔτονοι, ex schol. Arist. Ach. 16 cf. Suid. s. Χαιριδεῖς. Hesychius denique s. ὄρθιον νόμον haec docet: ὕτως ὠνομάσθαι φασὶν αὐτὸν ἀπὸ τῶν ῥυθμῶν, καθάπερ καὶ τὸν τροχαῖον.

Fuerunt igitur qui *septem* tantum nomos Terpandreos agnoscerent. Ne tamen cum his contra Pollucem facere Plutarchum putemus, ea re prohibemur, quod ipsum illum quem Plutarchus omisit *orthium* nomum uno ore inter Terpandri nomos illi referunt. Et illorum quidem auctor fortasse Aeolium nomum a Boeotio non diversum fuisse censuit[2]); Plutarchum autem, vel Heraclidem potius, non diversam tueri a Polluce sententiam, sed *plane eadem* docuisse, post demum a librariis turbata mutilataque, mihi persuasissimum est. Nam ne forte credas *Volkmanno* p. 70. *consulto* omissum esse a Plutarcho orthium, quippe quem auleticum nomum fuisse non ignoraverit, legenda sunt quae contra hunc manifestum errorem *Bergkius* monuit lyr. gr. ed. III p. 812. Hunc igitur nomum temere omissum

1) Quae uncis saepsi non extare dicit Bernhardyus in glossis Herodoteis (I 24) quibus ceteroquin cum Suida conveniat. — Ceterum cf. etiam Suid. s. Μόσχος ᾄδων: τὸ δὲ Βοιώτιον οὕτω καλούμενον εὗρε Τέρπανδρος.

2) Quanquam ego quidem non contradicturus sim, siquis forte a Photii auctore, aeque atque a recentioribus quibusdam hominibus, septem nomi Terpandrei *partes* cum ipsorum nomorum numero confusas esse conjiciat.

esse censeo aut a Plutarcho aut ab eius librariis; idque eo credibilius, quia alias etiam in hac enumeratione turbas moverunt. Nam quod ὀξύς subjungitur tanquam gemello trochaeo, id haud dubie falsum est, cum hic nomus a rhythmo nomen acceperit et rectissime a ceteris omnibus cum *orthio* conjungatur (cf. etiam Arist. Quintil. π. μυς. I p. 35, 3. 4. Westph. [pone primum doctrinae metricae volumen.]), ille, sive a tropo, sive, quod mihi persuasit *Westphalus* (hist. mus. p. 86), a *topo* dictus est, cum *tetraoedio* societur non a Polluce tantum, sed etiam a Photio et Suida, et cum *trochaeo* certe nihil commune habuerit. Videtur igitur Plutarchus, exscribendi labore δουλοπρεπεῖ lassatus, quem trochaeo adjungere debebat orthium nomum omisisse quemque debebat tetraoedii gemellum dicere ὀξύν trochaeo copulasse.[1]) Pollux autem eodem ac Plutarchus Heraclidis libro quanquam Iuba intercedente aliquanto tamen accuratius usus est. Iam vero cui nomorum Terpandreorum nomina debebat Iuba, nonne veri est simillimum, eundem auctorem ei singulas nomi Terpandrei partes tradidisse? Ut ad Heraclidem fortasse ea quoque redeant auctorem, quae hac de re ab uno Polluce § 66 docemur; quae, etsi librariorum culpa hodie turbata leguntur, tamen et restitui posse, nec vero cum *Volkmanno* (ad Plut. mus. p. 111) tanquam Pollucei aevi inventa inconsiderate spernenda esse *Boeckhii* (metr. Pind. p. 182) et *Westphali* (hist. mus. p. 77. metr. gr. II p. 279 ed. noviss. Cf. eiusdem in venustissima de Catulli carminibus commentatione hac de re excursum, p. 73 sqq.) disputationes probaverunt.[1])

---

1) Heraclides ipse haec scripsisse censendus est: — τροχαῖόν τε καὶ ὄρθιον, Κηπίωνά τε καὶ Τερπάνδρειον καλῶν, ἀλλὰ μὴν καὶ Τετραοίδιον καὶ ὀξύν. Plutarchus autem, cum pro „ὄρθιον" scripsisset „ὀξύν," post, nbi ad illa „καὶ ὀξύν" pervenit, ipse fortasse Heraclidis vel eius librariorum errorem corrigere sibi visus est, omissa hac altera, ut putabat, ὀξέως mentione.

2) Cf. etiam *Bergkius* lyr. gr. ed. III p. 815 sq.

Cum Heraclide denique ea quoque in re convenit Polluci, quod schoenionem et apothetum *Clonae* νόμυς et hic dicit § 79 et qui illum compilavit Plutarchus mus. 4 p. 7, 4. et 5 p. 8, 19—9, 1 Volkm. Et priore quidem loco non Heraclides, sed Plutarchus ea in re erravit quod *aulodicos* vocat illos nomos; *auleticos* enim fuisse et Pollux tradit § 65 et 79 et Hesychiua s. σχοίνων (ita cd; σχοινίων cum Sopingo Schmidtius). Errasse autem illo loco Plutarchum ideo non abhorret a probabilitate, quia dormitasse eum dum illud caput componit modo perspeximus: quid quod praeter schoenionem apothetumque et alios quosdam nomos etiam Κηπίωνα inter veteres nomos aulodicos recensuit, quem scimus fuisse Terpandri nomum citharodicum! (cf. *Westphal.* ad Plut. de mus. p. 74). Altero loco hoc unum docet, Clonae tribui illos nomos in anagraphe (Sicyonia): utrum auletici fuerint an aulodici non indicat. Sed errasse illius anagraphes auctorem ideo censet *Westphalus* ad Plut. p. 73. 76. hist. mus. p. 97, quia Clonas non auleticos confecerit nomos, sed aulodicos. Auleticam enim artem ab Olympi demum secta post Archilochi aetatem in Graeciam esse invectam.[1]) At tam sero floruisse alterum illum Olympum mihi quidem non satis firmiter. probasse videtur vir μυσικώτατος; ut interim, donec meliora docear, de Clonae nomis auleticis ἀναγραφῇ illi et Polluci fidem habendam esse existimem. Sed ut erraverint; tum clarius etiam apparet ex Heraclide, qui illud ex ἀναγραφῇ Sicyonia testimonium enotaverat, pendere Pollucis auctorem.

Quae cum ita sint, ad eundem aut simillimum certe auctorem cetera quoque revocare licebit quae Pollux his de rebus memoriae prodidit.[2])

---

1) cf. Westph. metr. II 285. Miror autem, alterum Pollucis locum, § 79, quo Clonae aperte tribuuntur hi nomi, nusquam commemoratum esse a Westphalo.

2) Poll. § 83. μέρη αὐλημάτων· — τερετίσματα, νίγλαροι. Cf. Hesych. νίγλαροι, τερετίσματα, περίεργα κρύσματα; prorsus eadem leguntur ap.

Veluti quae de *nomo Pythico* docentur § 84, ea cum haud mediocriter abhorreant a *Strabonis* eiusdem nomi descriptione, IX 3, 10 p. 421 Cas., tamen nolim de Pollucis statim errore cogitari. Quod vero *Boeckhius* de metr. Pind. p. 182 n. 16 Strabonis Pollucisque et tertii hac de re auctoris, scholiastae Pind. Pyth. arg. (p. 297 Boeckh.) dissensionem ita conciliari posse censet, ut de eodem quidem cantico omnes loqui, sed ex singularum partium singulis membris alium alia delegisse putemus, ea in re non possum quin a summo viro dissentiam. Accuratius enim si rem considerabis, non posse ullo artificio Strabonis Pollucisque sociari enumerationes concedes. Singula perstringere non huius loci est; sed tantae sunt tamque graves quae inter illos intercedunt diversitates, ut nequeant bona cum gratia componi. *Errasse* tamen alterum utrum scriptorem aegre concedam; praesto enim est alia λύσις commodissima. Nempe diversissimam uterque aetatem diversamque totius nomi institutionem respicit. Priscum illum *Sacadae* nomum mere *auleticum* describit Pollux, quippe qui hunc unum sibi notum esse § 78 significaverit: ὁ δὲ Σακάδα νόμος Πυθικός. Contra Strabo novellam quandam *Timosthenis*, Ptolemaei II nauarchae, veteris nomi transformationem se enarrare ipse aperte indicat. Timosthenes autem ille id potissimum novasse videtur, quod asso tibiarum cantui citharas primus admiscuit. Nam Sacadae quidem νόμος Πυθικός quin mere auleticus fuerit nequit dubitari propter conjuncta Pollucis (IV 78) et Pausaniae (V 7, 10. II 22, 8. 9. et praecipue X 7, 4. Cf. etiam IV 27, 7.) testimonia.[1]) Scholiastae denique illius testimonium prorsus hinc abstinendum est, quippe qui omnia turbet et ea potissimum in re graviter lapsus sit, quod eum quem describit nomum Pythicum ante bellum Cirrhaeum viguisse narrat. Pollucem

Photium I 447. Cf. praeterea Hesych. s. νιγλαρεύων. Phot. s. νιγλαρεύων. νιγλάρυς.

1) cf. Plut. mus. 8 p. 11, 17. ubi αὐλητής jure restituit Volkmannus.

igitur, vel Iubam potius, hac quoque in re bonum auctorem accurate secutum esse persuasum habeo, et talem quidem qui *ante Timosthenis aetatem* vixerit: de Heraclide siquis cogitaverit me certe non dissentientem habebit.[1])

Iam possemus missum facere Iubam; nisi una quaestio restaret ad Pollucem quidem minus ea pertinens quam ad ipsum regis Maurusii opus. Etenim, qui septendecim aut plures adeo[2]) θεατρικῆς ἱστορίας libros condidit, eumne putabimus in apparatus scaenici enarratione histrionumque actionibus describendis substitisse, neque scaenicae artis varios progressus poetarumque scaenicorum historiam delineasse? Immo hanc quoque justae ἱστορίας θεατρικῆς partem amplexum esse regem πολυμαθέστατον, mihi etiam citra testimonia perquam credibile videtur.

Paullo confidentius de alia re ab ea quam modo tetigi non prorsus aliena, judicare licet; illustrium dico musicorum histrionumque memoriam, quam a Iuba non neglectam esse[3]) ex tenuibus quibusdam indiciis, sed in re per se non veri dissimili idoneis collego. Apud Athenaeum enim, VIII 343 F exscriptum legitur ex Amaranti περὶ σκηνῆς libro *Iubae* epigramma de Leonteo Argivo, histrione tragico; quod cum *possit* quidem aliunde petitum esse, ex illius tamen ἱστορίᾳ θεατρικῇ sumptum esse maxime probabile est. In illo enim περὶ σκηνῆς opere quemnam potius

1) Ἐν παρέργῳ moneo, etiam in schol. Vatic. Eurip. Alcest. 968. vol. IV p. 114 Dind., ubi de Orphei ἐν σανίσιν ἀναγραφαῖς disputasse narratur Ἡρακλείδης ὁ φυσικός, fortasse non Ἡράκλειτος ὁ φυσικός scribendum esse cum Cobeto et Bergkio, Erschii Gruberique encycl. s. I vol. LXXXI p. 319 sed Ἡρακλείδης ὁ Ποντικός, quem veterum ἀναγραφῶν curiosum fuisse scimus indagatorem, quemque Orphei mentionem fecisse in συναγωγῇ τῶν ἐν μυσικῇ certum est.

2) Quod credo; nam admodum rara sunt operum septendecim libris consummatorum exempla. Quanquam et Strabo septendecim Γεωγραφικῶν libros scripsit, et totidem libros complexa est Philochori Atthis (Suid.) Arrianique belli Parthici historia (Phot. bibl. cd. 58.)

3) Non magis quam a Suetonio in simili de ludicra historia opere: cf. schol. Hor. sat. I 7, 20 (Suet. p. 280, 33 Roth.)

regis πολυγράφυ librum, quam ipsam illam *scaenicam* historiam adhibitum esse ab Amaranto credamus? Videtur igitur Iuba sua ipsius de artificibus scaenicis epigrammata libris suis pro re nata intexuisse; id quod Laertium Diogenem in Vitis Philosophorum fecisse constat; de Lobone Argivo simile quid suspicatur Th. Bergkius lyr. gr. ed. III. p. 607. Porro qui apud Athenaeum extat alter locus ex Amaranto transscriptus, X 414 F—415 B, is, nisi egregie fallor, item fluxit ex Iubae historia theatrali. Primum monendum est, quos illic laudatos invenimus praeter Amarantum auctores, Nestorem Tarsensem et Posidippum, eorum prioris certe jam ab Amaranto, procul dubio, appositam fuisse auctoritatem. Iam vero ipsas illas de Herodoro et Aglaide fabellas, ex Amaranto enotatas ab Athenaeo, ex eodem aperte atque Amarantus fonte Pollux hausit, IV 89. 90. Quominus enim ex ipso Amaranto Pollucem quoque illas exscripsisse dicamus, prohibet diversa quibusdam in rebus Pollucis Athenaeique narratio. Contra si communi fonte usos esse statuimus Pollucem Amarantumque, facillime intellegitur, unde ortae sint illae diversitates, enumeratae a *Casaubono* anim. ad Ath. p. 446. Leviusculae enim sunt, et in numeris plerumque versantur, quos nemo nescit in eiusmodi narratiunculis parum accurate tradi sed inter propagandum crescere „tanquam favum“ ut ait ille. Iam vero apud *Pollucem* quae praecedunt illas fabellas, quaeque, dempta quidem de praeconibus disputatione, insecuntur, ex *Iuba* transscripta esse demonstravi; *Amarantum* quoque aliunde scimus Iubae libris usum esse: quid igitur veri similius, quam haec quoque ἀκουσμάτια ex Iubae historia theatrali mutuatum esse utrumque auctorem?

Ceterum re paullum pensitata *Nestorem* illum non intercessisse inter Amarantum Iubamque sed ipsi Iubae has narratiunculas praebuisse quivis intelleget; credere igitur malim, ante Iubam vixisse illum, quam ipsa Augusti aetate, ut cum *Westermanno* ad Voss. hist. gr. p. 220 censet *Koep-*

kius de hypomnem. gr. (Berol. 1842) p. 18. — Hic igitur ordo est deinceps sese exscribentium: Nestoris θεατρικὰ ὑπομνήματα usurpavit Iuba, Iubam exscripsit Amarantus περὶ σκηνῆς,[1]) Amarantum Athenaeus. Ne tamen quis miretur, Nestorem commemoratum esse ab Amaranto, Jubam non commemoratum, sexcenta huius rei praesto sunt exempla. Veluti qui ipsam illam de Aglaide fabellam ex Athenaeo transscripsit, Aelianus var. hist. I 26, *Posidippum* laudat, ipsum quem compilavit Athenaeum non commemorat; quae ex *Beroso* profert Clemens Alex. protr. I 5 p. 19 Sylb. ex *Iubae* Assyriacis hausta esse nemo scire posset, nisi ex uno Iuba Berosi sibi venisse notitiam ipse alibi (strom. I p. 329) Clemens profiteretur.

De artificibus igitur musicis egisse Iubam veri simillimum est; de poetis scaenicis qui totam rem consideraverit ultro largietur. Sed nescio an ea quoque umbra argumenti satis quidem tenuis non prorsus sit neglegenda, quae in poetarum adeo historia ad nostra usque tempora propaganda non plane nullas fuisse Iubae partes significare mihi videtur.

Leguntur enim haec apud *Suidam* s. Ἴβυκος· πρῶτος εὗρε τὴν καλουμένην σαμβύκην· εἶδος δ᾽ ἐστὶ κιθάρας τριγώνου. Iam *Iubam* quidem narrat Athenaeus IV 175 D *Syrorum* inventum dixisse sambucam; sed quos deinde laudat Ὧροι *Neanthis Cyziceni*, ad *Ibycum* inventorem illud instrumentum revocantis, eos nusquam alibi citat: ut hunc Neanthis locum nemo sanus dubitare possit ex *Iuba* exscriptum dicere. Iam cum Neanthes illo opere non data opera de musica disceptaverit, sed raras tantum, pro rei natura, et diligenter enotandas quae huc spectent animadversiones inspersisse putandus sit, forte fortuna magis quam prudenti consilio consentaneum est factum esse, ut auctor aliquis, peculiare de musicis artibus opus conditurus, in

1) Quem nescio, utrum *primo* post Chr. n. saeculo vixisse dicam cum *Ahrensio* bucol. gr. II p. XXXI, an altero.

illos libros inciderit. Quare plane abhorret a probabilitate, ab eo, cui Suidas sua debet auctore, ex ipso Neanthis opere extricatam esse hanc singularem de Ibyco adnotatiunculam: immo omnia eo faciunt, ut ex *Iuba* ut Athenaeum ita illum quoque scriptorem haec excerpsisse putemus. Nec multum ponderis in hoc consensu inesse dicerem, si Ibyco sambucae inventionem uno ore omnes tribuerent; sed a Sambyce nescioquo inventum esse hoc instrumentum *Scamon* ap. Athen. XIV 637 A tradit.

Porro cf. Suid. s. Μαρσύας· — οὗτος ἐφεῦρε διὰ μυσικῆς αὐλὺς ἀπὸ καλάμων καὶ χαλκῦ. Quibuscum ita consentit *Metrodorus* „ἐν Τρωϊκοῖς" ap. Athen. IV 184 A, ut praeter *syringem* etiam *tibiam* a Marsya inventam dicat; cum Euphorion περὶ μελοποιιῶν (ibid.) unius σύριγγος κηροδέτυ inventionem Marsyae tribuat. Vides inter Euphorionem et Metrodorum de una *tibia* non convenire, cum Metrodoro facere hac ipsa in re Suidam. Qui consensus ideo maximopere memorabilis est quia de tibiae inventore quot testes tot fere sunt sententiae. *Hyagnidi* tribuunt Alexander Polyhistor apud Plutarch. mus. 5 p. 8, 5 Volkm. (cf. 8 p. 11, 2.) et marmor Parium vs. 17. 18 (C. I. Gr. II p. 300.)[1]), *Olympo*, *Athenae* (cf. *Boeckh.* expl. Pind. p. 344), ipsi adeo *Apollini*[2]) alii. — Neque Euphorionis illi libro neque Metrodoro Chio usquam alibi ab Athenaeo testimonium denuntiatur; ut ex alio opere illorum testimonia transscripta esse concessurum confidam quicunque Athenaei indolem noverit. Iam *Iubae* hic quoque Athenaeum usurpasse theatralem historiam supra demonstravi; Metrodori Τρωϊκὰ non magis credibile est ab unoquoque musicae historiae enarratore pervoluta esse quam Neanthis Ὧρυς: unde colligo, haec quoque ex *Iuba* hausisse Suidae auctorem.[3])

1) Cf. etiam Callistratus ap. Schol. Aesch. Pers. 938 p. 90, 11 Dind.

2) cf. Plut. mus. 14. p. 17, 12 sqq. Volkm. *Bergk*, lyr. gr. ed. III p. 931.

3) Poterunt hoc vel ei concedere, quibus ad *Aristotelem* redire istas de Ibyci Marsyaeque inventis narationes persuaserit *D. Volk-*

Unde vero eiusmodi narrationes in Suidae lexicon pervenerint, possumus aliqua certe cum probabilitate indicare. Suidam constat Hesychii Milesii ὀνοματολόγον vel potius illius libri epitomen[1]) exscripsisse; Hesychium de poetarum eorumque qui illorum carmina commentati erant grammaticorum vitis consuluisse *Dionysii Halicarnassensis* μϐσικῆς ἱστορίας libros XXXVI docuerunt *O. Schneiderus* de Callim. oper. tabula (prog. Gothan. 1862) p. 14 sq. et *C. Wachsmuthius* symbol. philol. Bonn. p. 146. Quid igitur mirum, si hunc hominem Iubae de historia scaenica libros, procul dubio utilissimos, compilantem deprehendimus? Immo, etiamsi nulla omnino huius rei extarent vestigia, nonne per se licitum esset conjicere, Iubae opus ab eo esse adhibitum qui ὑπορχημάτων ἀφήγησιν institueret, disputaretque περί τε ὀρχηστῶν καὶ ἄλλων τῶν ἐν τοῖς Ἑλλήνων θεάτροις ἀγωνιζομένων, ὅθεν τε καὶ ὅπως οἱ τούτων ἐπὶ μέγα κλέος παρ᾽ αὐτοῖς ἀναδραμόντες γεγόνασιν, denique αὐλητῶν praeberet καὶ αὐλημάτων ἀφήγησιν? [2]) Mirum adeo fore si quis Hadriani aequalis, harum rerum accuratam descriptionem aggressus, ditissimos regis πολυμαθεστάτϐ thensauros praeteriisset, facile periti intellegent. Quid quod haec fortasse caussa erat cur *Sopater* in Ἐκλογῶν libro undecimo ex Iubae θεατρικῇ ἱστορίᾳ unum septimum decimum librum excerpendum selegit? [3]) quid si ab universo opere excerpendo ideo destitit, quia utilissima quaeque inde jam in Dionysii illiusque epitomatoris Rufi libros, in prioribus miscellaneorum suorum partibus a se compilatos transiisse animadverterat?

---

mannus de Suidae biograph. p. 21. 22. Sed mihi quidem tenuissima veri specie niti videntur illae Volkmanni conjecturae.

1) V. *Nietzschius* mus. rhen. XXII 193 n. 18 *Volkmannus* symb. Bonn. p. 729 not.

2) Licet enim haec, de Rufo, Dionysii epitomatore, praedicata a Photio bibl. cd. CLXI p. 103 b, 18—31, 34 sq., in ipsius Dionysii opus transferre.

3) V. Phot. cd. CLXI p. 104 b, 35.

Sed, ut redeam illuc: si modo verum est, ne historiam quidem litterariam a Iuba plane neglectam esse, his quoque in rebus consentaneum est Iubae copiis diligenter usum esse Dionysium. Quare non prorsus ineptus foret, siquis non eorum modo, quae nos hodie de apparatu veterum Graecorum scaenico norimus, pleraque omnia Iubae deberi diceret, sed partem certe aliquam, nec fortasse exiguam, eius quoque de poetarum scaenicorum vitis memoriae, quam Suidas servavit, ad eundem auctorem redire suspicaretur. —

Sed de Iuba hactenus. Poteram ea de re quaestionem instituere fortasse non infructuosam qua fide Pollux auctore tam eximio usus sit. Verum hoc aliis relinquere malui, unum ipse moniturus. Questi enim saepe sunt multi viri doctissimi de Pollucis in rebus scaenicis explicandis summa neglegentia. Nec falsos esse dico; quanquam ceteris compilatoribus neglegentius versatum esse Pollucem, non concedo. Sed gravius est, quod ex ipsa illa neglegentia perlucet eximia fontium ab illo usurpatorum bonitas. Eius enim notae sunt plurima σφάλματα, ut non destitui sophistam exilitate subsidiorum sed impediri profusa ubertate facile cognoscas. Constat enim, ita illum plerumque his in rebus errasse, ut quae de certo aliquo dramate dicenda erant ita proferat tanquam in omnes omnino fabulas conveniant. Unde apparet, tali eum usum esse auctore qui varia cuiusque rei exempla ὅλῳ τῷ θυλάκῳ effunderet, sed ita usum esse, ut aut unum vel duo ex illis exemplis raptim delibaret, aut, oscitantius etiam, quae exempli caussa ille apposuerat, pro rata perpetuaque norma venderet. Hinc autem consectarium, nihil in hac Pollucis parte temere spernendum esse, — id quod debito saepius factum est — sed probe tenendum, auri grana hic latere quantumvis maculata.


Unum in fine addendum est. Solidam quam in rerum scaenicarum enarratione prae se fert Pollux doctrinam *Jubae* acceptam retulimus; restat ut indicemus, unde ea hauserit, quae non tam ad antiquitatum illustrationem spectant, quam ad sermonis elegantias excolendas; *synonymorum* dico collectiones, rerum descriptioni passim intermistas. Ex historia theatrali quin talia haurire nequiverit nemini dubium erit. Ipsene illas voces conquisivit? Nullus credo. Immo, ut in rebus enarrandis veterum grammaticorum commentationes expilavit, ita synonyma illa vocabula ex eiusmodi aliquo libro conquisivisse putandus est, qui nostris „ad Parnassum" ducibus non dissimiles, „συναγωγὰς" praebebant „ἐπιθέτων εἰς τὸ αὐτὸ πρᾶγμα ἁρμοζόντων, πρὸς ἕτοιμον εὐπορίαν φράσεως." His enim verbis *Telephi,* qui erat Pollucis aequalis et fortasse aemulus[1]), Ὠκυτόκιον describit Suidas. — Multos synonymorum enarratores enumeravit *E. Meierus* opusc. II 34.[2]) Noli tamen, *Valckenarii* (ad Ammon. p. XX.) opinionem secutus, inter illos numerare *Jubam* et *Sosibium*, Ὁμοιοτήτων utrumque auctorem. Multo quidem haec opinio verior est illis hariolationibus, quas de *Jubae* Ὁμοιότησι profudit *Plaggius* de Jub. p. 61; unice tamen veram esse *C. Muelleri* (hist. gr. III 468 b.) et *M. Schmidtii* (quaest. Hesych. p. CLXXI. sq.) sententiam, de variorum populorum, Graeci maxime et Romani, moribus et institutis interse comparatis cogitantium, fragmenta docent ab Athenaeo servata. Ceterum, si licebit hariolari,

1) Ad *aemulos* enim ipse Pollux respicit in libri quarti praefatione, inprimisque ultimis verbis. Libet hic adnotare, etiam *Lucianum* (quem mihi nemo persuadebit, in *Rhetorum praeceptore* non cavillatum esse Pollucem), ubi ἀπειρόκαλόν τε καὶ ὀψιμαθῆ vocat eorum diligentiam, qui varia saltationum nomina studiose collegerint, de saltat. 33, nostrum prae ceteris Pollucem notare videri; id quod jam *La Crozium* (ed. Bipont. V 462.) video suspicatum esse.

2) Speciosa est *Meinekii* conjectura, a *M. Schmidtio* quaest. Hesych. p. CXXVII—CXXIX argumentis firmata, in Diogeniani quoque lexicon transiisse partes aliquot eiusmodi synonymorum collectionis.

Jubae Ὁμοιότησιν in illa, quam ex onomastico aliquo converrit Athenaeus IV c. 68 p. 169 B, — c. 72 p. 172 F., μαγειρικῶν ὀνομάτων enumeratione paullo plura tribuenda puto, quam nominatim ad illum referuntur. Jubam enim cum discamus (p. 170 E.) Graecorum τραπεζοκόμον et Romanorum structorem interse comparasse, nonne veri est simillimum, ad eundem redire auctorem, quae de Graecorum ἀγοραστῇ a Romanorum obsonatore, de προτένθῃ a Romanorum progustatore non diversis referuntur p. 171 A. p. 171 C.? An omnium Graecorum grammaticorum hunc morem fuisse putabimus ut popularium suorum instituta cum barbaris compararent? Immo ὁμοιοτήτων haec erat ratio, non omnium onomasticorum. Ceterum, utut haec se habeant, *Pamphilo* deberi totam hanc Athenaei commentationem qui illum p. 171 B. laudatum viderit facile concedet; ex illo igitur Jubae illos locos transscripsit Athenaeus. —

Sed tandem aliquando „teneat nostras ancora jacta rates.“ Ut tamen quid de Pollucis in apparatu scaenico describendo fontibus expiscati simus breviter ob oculos ponatur, imagunculam delineabo, qua Athenaei Didymi Pollucis de rebus scaenicis doctrina quo contineatur vinculo clare appareat.



COROLLARIUM.

Cum prope ab initio huius commentationis ea re plus nimio doctrinam suam studiumque coram Commodo praedicasse Pollucem dixerim, quod in libri secundi praefatione τοὺς τῷ περιπάτῳ συνήθεις multum a se consultos esse gloriatus sit, pluribus hanc criminationem persequendam mihi esse sentio, ne immerito bonum auctorem fraudis insimulasse videar.

Secundi enim, cui praefixa est illa praefatio, libri copias potissimas non a veteris illius scholae Aristoteliae eruditis asseclis mutuatus est Pollux, sed ex *Rufi Ephesii,* Trajani aequalis, libello utilissimo περὶ ὀνομασίας τῶν τȣ ἀνθρώπου μορίων sine magno sane labore sumpsit: id quod primus, quantum scio, animadvertit *Is. Casaubonus* anim. ad Athen. p. 431 ed. Lugd. 1600 fol. (Ath. IX 399 B.). Ignorarunt hoc aut certe non curarunt qui Pollucem ediderunt; neque id nimis vitupero, nam profecto his temporibus medicam inter artem et grammaticam μέγα χάσμα ἐστήρικται. Ouo majores *M. Hauptio* gratiae referendae sunt, qui nuperrime, in Hermae vol. III p. 224—228, quam propinqua intercedat inter Pollucis Rufique doctrinam necessitudo, exemplis ad hanc rem probandam maxime appositis demonstraverit. Manifesta profecto res est; quare pluribus exemplis corradendis lectores morari nolo.

Jam vero, quibus praeter Rufum in illo libro conscribendo Pollux usus sit subsidiis, anquirendum est. Qua in quae-

stione ab ipsis corporis humani partium descriptionibus prorsus sejungendas esse apparet quae illis passim intermistae sunt vocum solo plerumque veriloquio cum corporis appellationibus conexarum colluviones. Et has quidem Pollux partim ex synonymorum collectionibus, partim ex aliis onomasticis converrisse putandus est;[1]) ex *Peripateticorum* libris haec certe non potuit haurire. Ex eiusmodi lexicis etiam *morborum* nominationes Pollux transscripsisse videtur (§ 41. 60. 65. 78 [ubi ex Rufo p. 25. 44. Clinch. quaedam immiscuit]. 103 cet.): quippe quae in nudis vocabulis enumerandis subsistant, multoque magis grammaticum spirent et glossographum quam medicum.

At in altera parte, quae in corporis humani singulis partibus describendis versatur, praeter unum Rufum nullum omnino Polluci ad manum fuisse contendo subsidium, quod quidem ad summam rei quicquam contulerit; nam pauca quaedam et tenuia ex aliis scriptoribus excerpta hic illic de proprio eum penu interspersisse non negabo. Veluti *Aristotelis* de historia animalium deque animalium partibus libros ipse Pollux inspexisse videtur: cf. §. 68. 93. 94. (164?); quanquam aliis locis ex Rufo descripsit Aristotelis nomen: ut § 86. (Ruf. p. 26 Clinch.) § 99. (R. p. 28.)[2]). *Clearchi* locos §. 146 et 164. laudatos num ipse

---

1) Inter horum subsidiorum fontes videtur etiam *Eratosthenis* περὶ ἀρχαίας κωμῳδίας doctissimum opus fuisse. De vocis enim γλῶττα notione grammatica ubi disputat Pollux, § 109 sq, ad eundem provocat Commissatorum fabulae Aristophaneae versum, quem in eadem re disceptanda *Galenus* profert, in Glossarii Hippocratei praefatione, vol. XIX p. 66. Kuehn. Jam vero Galenum et hunc versum et ampliorem quam subnectit illius fabulae delineationem *Eratostheni* debere facile concedet, qui haec, quae illi disputationi Galenus praemisit, verba consideraverit (p. 65.): ὅτι γὰρ ἐποίουν οἱ παλαιοὶ πολλὰ τῶν ὀνομάτων αὐτοῖς, δέδεικται μὲν ἱκανῶς καὶ πρὸς 'Ερατοσθένυς ἐν τοῖς περὶ ἀρχαίας κωμῳδίας, δείξαιμι δ'ἄν σοι κἀγὼ νῦν διὰ βραχέων —, οἷον μέν τι ἡ γλῶττά ἐστιν, οἷον δέ τι τὸ παραπλήσιον αὐτῇ κτλ. Quibus ille satis aperte significavit, ab Eratosthene se sua esse mutuatum.

2) Porro cf. § 144: τὰ δὲ ὑπ' αὀτοὺς (τοὺς κονδύλους) ἄρθρα σκυταλίδες, ἤ, ὡς 'Αριστοτέλης, φάλαγγες. Ruf. p. 30 (et p 50.) τὰ δὲ

Pollux inspexerit, admodum dubium esse concedes, ubi tertium Clearchi testimonium § 185 ex Rufo (p. 40) descriptum esse compereris,[1]) quartum vero quo Clearcho testimonium denuntietur locum in toto onomastico frustra quaesiveris. — En omnia quae ex Peripateticis ipse Pollux mutuatus est! Accedunt adnotatiunculae quaedam ex ignotis fontibus haustae: § 50. 69. 89. 95.[2]) Denique ex *Sorani* Ephesii libris περὶ ἐτυμολογιῶν τοῦ σώματος τοῦ ἀνθρώπου pauca quaedam hausisse Pollucem censeo. Certissimum huius opinionis argumentum ea praebent quae de Longimanu aut Dario aut Xerxe scripsit Pollux § 151. 152, cum Sorani hac de re commentatione, ab Orione p. 130 sq. Sturz. (et p. 189) servata, planissime concinentia. Qui haec ex Sorani Etymologiis descripta esse concesserit, is ex eodem Soranei operis loco non dubitabit excerpta dicere quae de eis profert Pollux § 157. 158 mensuris, quae per manum fiunt. Porro cum Orione p. 98. 99 cf. Poll. § 98 (qui locus emendandus est, non mutilandus, ut Bekkerus fecit); cum Poll. § 221: (μήτραν καλοῦσι) καὶ δελφύν· ἀφ' ἧς καὶ ἀδελφοί. cf. Orion. p. 45, 17: δελφύς. — ἡ μήτρα, ὅτι ἀδελφοποιός ἐστιν. *Sorano* haec deberi et Etymologici Orionei ratio universa suadet, et certum adeo est collatis his

---

ὀστᾶ αὐτῶν (digitorum) σκυταλίδες καὶ φάλαγγες. Vide num forte Aristotelis nomen ex pleniore Rufi exemplo Pollux descripserit; quali eum usum esse mox demonstrabitur. Indidem *Sophoclis* nomen sumpsisse videtur § 72, cuius loco 'Αθηναῖοι comparent in nostris Rufi exemplaribus, p. 25.

1) „Κλείταρχος" Rufi editiones; sed „Κλέαρχος" ex Polluce dudum restituit *Casaubonus* anim. ad Athen. IX 399 B, ubi idem Clearchi locus citatur. Idem error apud Phleg. mirab. 4.; v. *C. Muellerus* scr. rer. Alex. magni p. 84.

2) Adnumerarem his § 114 sqq, nisi interpolatas esse crederem has de vocis origine commentationes; desunt enim in codicibus A et C, i. e. optimis. Ex Stoici alicuius grammatici libris excerpta haec esse videntur: hi enim prae ceteris vocem esse ἀέρα πεπληγμένον docebant: cf. *R. Volkmann.* ad Plutarch. de mus. p. 57. Add. Cramer. anecd. Ox. IV 316 sq. *Archelao,* Socratis magistro, huius definitionis inventionem tribuit Laertius Diogenes IV 17.

quae in excerptis ex Somni περὶ μήτρας opere extant verbis (p. 54 ed. Paris. 1554 ap. Adr. Turnebum.) μήτρα καὶ ὑστέρα λέγεται καὶ δελφύς. μήτρα μὲν — (cf. Orion. p. 99, 27.], ὑστέρα δὲ — [cf. Orion. p. 154, 34], δελφὺς δὲ διὰ τὸ ἀδελφῶν αὐτὴν εἶναι γεννητικήν[1]). In universum tamen si Pollucem cum eis Etymologici Orionei glossis comparaveris, quae Sorano aut nominatim tribuuntur aut satis tuto tribui possunt, rarissime nostrum illius libris usum esse intelleges; quod unde fiat facile perspiciet qui Soranei operis indolem noverit.

Haec vero quae modo enumeravi omnia ubi detraxeris Polluci, nihilo minus haud sane pauca restare videbis, quae frustra quaerantur apud Rufum. Ea igitur unde Pollucem sumpsisse dicamus? An hic forte latent multa illa quae Peripateticis se debere ipse fatetur? Credat qui volet; mihi persuasissimum est, haec quoque sophistam a *Rufo* mutuatum esse. At apud Rufum, inquit, desiderantur. Audio; sed temporum tantum neglegentiam ipsius Rufi his de rebus commentationes nobis invidere credo. Ipse enim Rufus haec de sua opera in fine totius libelli praedicat (p. 45): τὰ μὲν πλεῖστα τοῦ ἀνθρώπου οὕτω χρὴ καλεῖν· εἰ δέ τι ἐν τούτοις καὶ παραλέλειπται, οὐ μὴν δίκαιον τὰ πολλὰ ἀτιμάσαι διά τινα ὀλίγα παροφθέντα. Haecine tu putas eum hominem scripsisse, qui Polluci, sophistae in medicis rebus aperte hospiti, tam multa reliquerit adnotanda, ut cuivis fere paragrapho aliquid certe neque id exigui plerumque momenti adiciendum esset? Tam neglegentem hominem tamque imperitum inter bonos doctosque adeo medicos habitum esse credis? Atqui Rufus illius aevi eruditissimis adnumerari solet medicis. Unum saltem exemplum ut proponam: ex omnibus eis quae Pollux in paragraphis 134. 135. 136. enumerat nominibus praeter τένοντας et μετάφρενον nullum

1) Porro cf. *Cyrilli* glossa apud Mehlerum Mnemos. III 221: Ἀδελφός· παρὰ τὸ δελφύς, ὃ σημαίνει τὴν μήτραν· τουτέστιν ἐκ τῆς αὐτῆς δελφύος τουτέστι γαστρός.

apud Rufum vel commemoratur. Isne igitur ὀλίγα τινα neglexit, qui πρηστῆρα, ἀγκτῆρα, παρωτίδας, τέρθρον, περίδειρον, ὑποτραχήλιον, multa alia intra trium paragraphorum spatium Polluci supplenda reliquit? Immo, haec et talia non omisit Rufus, omiserunt qui illius ὀνομασίας decurtarunt librarii. Etenim, ut dicam quod sentio, nos hodie non ipsius Rufi plenum opus tenemus, sed duas diversas epitomas, ita institutas, non ut ipsius disputationis omnia capita serventur resectis tamen digressionibus sermonisque ambagibus coartatis, sed ut forma elocutionis plus minusve fideliter retineatur, abiciantur, prout alteri utri epitomatorum libido est, ipsius commentationis integrae eaeque necessariae particulae. Nempe et in Turnebi editione (Paris. 1554. 8°) et apud Clinchium *duae* extant secretae huius libelli formae; quae tamen quo familiaritatis vinculo contineantur neuter vel verbo significavit[1]). Has vero duas Rufi conformationes si interse et cum Polluce comparaveris, primum plenam onomastici formam praebere neutram intelleges, deinde vero ne coalitis quidem, quantum fieri possit, ambabus epitomis integrum nos Rufum recuperaturos esse facile concedes. Mancam esse utramque conformationem quivis ilico perspiciet; nam et desunt in secunda omnia fere exquisitioris doctrinae illa scitamenta, quae et prior praebet editio et Pollux avide plerumque recepit; et in priore epitoma cum multa alia desiderantur tum nihil majore cum detrimento quam pulmonis descriptio. Integrum autem Rufi opusculum ita tantum ex confundendis epitomis restauratum iri sperare liceret, si hoc ipso consilio suum uterque librarius breviarium instituisset ut quae alter omisisset ipse subministraret, praeteriret

1) Ne in ea quidem quam Matthiae curavit Rufi opusculorum editione huic quidem scriptioni emendandae pleniusque exhibendae nova accessisse subsidia, ex certis quibusdam indiciis colligo. Nam ipsa quidem illa editione mihi non magis quam Hauptio uti licuit. Ceterum huic, sicui alii, libello, quo plures comparabuntur codices manu scripti, eo maior salus speranda erit.

quae ille exhibuisset. Sed minime omnium has excerpendi vicissitudines inter illos intercedere apparet. Jam si ea considerabis, quae de ipsius Rufi consilio modo protuli, mecum, spero, facies, ubi nisi breviatum nos hodie Rufum tenere negavero, et quae desiderentur ex Polluce supplenda esse affirmavero. Pollux igitur pleno Rufo uti potuit; postea demum a compluribus lectoribus satis et neglegenter et arbitrarie in angustiores fines contractus est commodissimus libellus: id quod et aliis eiusdemmodi operibus accidisse scimus, et ipsi adeo Polluci, cuius tum alibi extant epitomae, tum in Antverpiensi, quo Kuehnius usus est, codice. —

Haec igitur mea est sententia, in componendo libro secundo Polluci praeter onomastica quaedam, ad ipsam artem medicam rarissime respicientia, et Rufi ὀνομασίας nihil nisi rara quaedam ex Aristotelis, Sorani, paucorumque quorum nescimus nomina aliorum libris excerpta praesto fuisse.

Jam qui volet, de ea qua Rufi opere Pollux usus sit ratione poterit observationes instituere, quibus in hoc toto genere haud facile institui possint utiliores. Ego nunc quaedam decerpere satis habeo. Et plerumque quidem artissime Rufi vestigia pressisse Pollucem inde apparet, quod cum eis quoque, quibus nobis hodie utendum est, epitomis saepe ad verbum consentit. Quid quod ipsis Pollucis verbis nonnunquam medicinam affert illarum epitomarum comparatio, comparatoque rursus Polluce hic illic sanari possunt corrupta epitomarum verba?[1])

---

1) Veluti de cerebro haec docet Pollux § 44: περιειλήφασι δ' αὐτὸν μήνιγγες δύο, ἡ μὲν ἔνδοθεν ἐ ρ υ θ ρ ο τ έ ρ α, ἡ δὲ ἔξωθεν στερεωτέρα. Corruptum esse illud: ἐρυθροτέρα apparet. ἐλαφροτέρα scribendum conjecit Heringa; sed qui Rufi geminum locum, p. 36, consideraverit; — ἡ μὲν παχυτέρα καὶ ῥωμαλεωτέρα, ἡ πρὸς τῷ ὀστῷ, ἡ δὲ λ ε π τ ο τ έ ρ α καὶ εὔρωστος μὲν ἀλλ' ἧσσον (ἥσσων Clinch.), ἡ πρὸς τῷ ἐγκεφάλῳ, is eiusmodi potius vocem expectabit, quae tenuitatem et debilitatem significet, velut: ἀραιοτέρα vel: ἀῤῥωστοτέρα. — § 212 quam verum

Ubicunque autem Rufus a nuda nominum enumeratione ad medicam experientiam paullo fusius explanandam deflectit, ibi Pollux doctiores eius disputationes aut plane transilire solet aut certe misere contruncare: velut comparentur cum parilibus Pollucis regionibus hi Rufi loci: p. 34. 35. 42. 43 extr. 44. 65. Nimirum, ad Enniani illius Neoptolemi exemplum, degustare aliquid ex doctrina medica magis Pollux et se et cui librum suum dedicabat augustissimum lectorem decere putabat, quam in ipsa artis adyta se ingurgitare. Sed acrius vituperandum est, quod saepe tam neglegenter Rufum suum inspexit, ut et minus accurate, et vero etiam perverse haud raro illius exprimeret sententias. Tali neglegentiae ea debentur quae de στομάχῳ perversissima leguntur § 201. 202. (cf. Ruf. p. 37. 60.), de ὑπήνῃ § 80 (cf. Ruf. p. 27.), de ἥβῃ § 170 (Ruf. p. 31) de oculi tunicis § 71. (cf. Ruf. p. 36 sq. p. 55.), de νήστει § 208 (R. p. 38), cetera.

---

sit quod conjectura assecutus est Jungermannus: αὐτήν, docebit Rufi comparatio p. 39. — Pro μέρος § 170 nescio an forte scribendum sit δέρος; δέρμα Rufus p. 51. — § 176 haec exhibent veteres editiones: εἰσὶ δ' ἐπὶ τοὺς μηρούς, ὑπὸ τοὺς γλούτους, βουβῶνες; pro quibus haec praebet Bekkerus: τὰ δ' ἐπ' αὐτῶν (τῶν ὑπογλουτίδων) παρὰ τοὺς μηρούς, βουβῶνες; quae videtur codicis Parisini A scriptura esse. Sed ὑπογλουτίδες minime vicinae sunt βουβῶσιν. Accedit quod et in Jungermanni Palatino (quem C vocat Bekkerus) et in Kuehnii Antverpiensi Vossianoque codicibus haec scripta extant: — ὑπογλουτίδες· τὰ δὲ ἔμπροσθεν αὐτῶν παρὰ τοὺς μηροὺς βουβῶνες. Jam comparata priore Rufi epitoma, p. 33; βουβῶνες δὲ τὰ ἔμπροσθεν τῶν μηρῶν, τὰ παρὰ τὴν ἥβην, aut stupidi erroris Pollux insimulandus erit, aut haec ei scriptura reddenda: τὰ δὲ ἔμπροσθεν τῶν μηρῶν παρὰ τὴν ἥβην. Violenta est sanatio; sed qui tam male habitus est tamque arbitrarie immutatus a librariis locus aut conclamandus ilico est, aut ferro sanandus. — Rufo p. 37: αὕτη δὲ (dextra cordis pars) καὶ εὐρυκλειοτέρα τῆς ἑτέρας, pro corrupto illo: εὐρυκλειοτέρα, quid sit restituendum apparet collato Polluce, § 217: ἡ δὲ ἐν δεξιᾷ (κοιλία) λεπτοτέρα μὲν, ἐπὶ μείζονος δὲ τῆς εὐρυχωρίας, nempe εὐρυκοιλιωτέρα. — Denique juvat, haec Pollucis verba, § 214: χολή — τὸ μὲν στενὸν αὐχένα καλούμενον ἔχουσα, τὸ δὲ πλῆρες πυθμένα, cum Rufi parili loco comparare (p. 39): τούτου δὲ (τοῦ τῆς χολῆς ἀγγείου) τὸ μέσον στενὸν αὐχήν, τὸ δὲ κάτω πυθμήν. Apparet, restituendum esse Rufo μέν.

Denique id quoque notandum, quod eum quem ipse Rufus observasse videtur sanum in singulis nominibus collocandis ordinem, Pollux plane turbavit; unde et alia incommoda orta sunt et factum est, ut quaedam nomina duobus locis necessario commemoranda essent ut μετάφρενον §. 136 et 177, πλευραί § 165 et 181, ἐπίπλοον § 212 et 224, παρίσθμια ἢ ἀντιάδες § 98 et 20 cet.

Rufus vero ipse quibus fontibus doctrinam suam debeat, quamvis et utilis quaestio sit neque nimis, ut puto, difficilis, solvendam tamen eis hanc relinquam, qui in medicis rebus librisque minus quam ego hospites sint. Hoc vero ipse significabo, videri illum pleraque vegetae debere quae in ipsis medicorum scholis traderetur doctrinae. Multa ex *Herophili* libris sumpsit; praeterea multos laudat bonosque auctores, quorum *Dionysium* Ὀξυμάχου ipsi esse inspectum ex ea qua eius libros p. 42 commemorat ratione apparet. Ceteros num ipse omnes versaverit dubito; potuit enim multa testimonia ex aliis onomasticis sublegere. Nam hoc quidem satis certum est, quaedam certe Rufum quoque ex communi omnium glossographorum penu desumpsisse; veluti cum Rufo p. 28 (κίων, γαργαρεών, σταφυλή [Poll. § 99]) cf. Orion. p. 81, 4—10 (ex Sorano;) cum R. p. 56 sq. (παρίσθμια, ἀντιάδες [Poll. § 98. 201.]) cf· Orion. p. 129, 18 (ex Sorano); cum R. p. 29 (κόβιτον [Poll. §. 141]) cf. Erotian. p. 84, 12, quosque ibi laudat Kleinius; cum R. p. 38 (ἡ κάτω κοιλία, νειαίρη, κῶλον [Poll. § 209.]) cf. Erotian. p. 97, 9. —

Sed his de rebus peritiores videant. Hoc me spero evicisse, in secundo certe libro Peripateticorum sane libros aut nihil omnino aut perquam exigua Polluci subministrasse.

ADDENDA.

p. 49. Nescio quo casu factum sit, ut Suidiani illius loci emendationem ab aliis dudum occupatam esse praeterviderim: qui tamen quibus argumentis in morbi et διαγνώσει et θεραπείᾳ usi sint nunc quoque ignoro.

p. 70 n. 4. τετραοιδός praebent etiam Italicorum librorum plerique, veluti Urbin. 159. Neapolitani II D 30 et III E 38, Laurentiani XXVIII 32, LVIII 3, LVIII 26, LVIII 1., qui eiusdem farinae sunt atque Kuehnii Antverpiensis nec digni profecto in quibus integris comparandis bonum tempus consumatur. In Laurentiano LVI 12, paullo meliore, legitur: τετραοιδὸς τετραΐδιος.

„p. 83. Ceterum diu ante Casaubonum doctus nescioquis Pollucis lector animadvertisse videtur, esse ubi ille ex Rufo sua transscriberet. Huc enim mira illa mireque corrupta, seu truncata dicere malis, verba valere puto, quae libri secundi paragrapho 224 adsuit codicis Antverpiensis librarius: (Ἀντιφῶν δὲ αὐτὸν καὶ ἀρρενικῶς καὶ οὐδετέρως) λέγει ἐν τωυθα σύνοψις τῶν κατὰ ἄνθρωπον. Quae quomodo sanari possint, sagaciores videant: sed quicunque haec scripsit, Rufo, nisi egregie fallor, testimonium denuntiare voluit; hunc enim opusculo suo non inscripsisse „ὀνομασίαι τῶν τοῦ ἀνθρώπου μορίων“, ut Turnebo placuit, sed ὀνομασίαι τῶν κατὰ ἄνθρωπον, fidem facit codex Laurentianus.“

p. 89. In Rufi illo qui p. 37 Clinch. exstat loco sanando verum me conjectando assecutum esse, codex Laurentianus LXXIV 7 confirmat, in quo non εὐρυκλειοτέρα legitur, sed idem fere quod ego Rufo restituendum dixeram, nempe εὐρυκοιλιοτέρα (fol. 280 b.). Ceterum ille codex, saeculo decimo ineunte scriptus, prisca magis scripturae elegantia quam ea qua Rufi verba servaverit fide praecellit. Immo et mendis plurimis scatet et in integris enuntiatis aut foede mutilandis aut plane adeo omittendis levissime grassatur.

Scr. Florentiae d. XVII m. Sept. a. MDCCCLXIX.

LIPSIAE, TYPIS GUIL. DRUGULINI.